DELICIÆ OCTIDVANÆ,

EX
Suauissimo amoris Diuini
CANTICO CANTICORVM,
Solenni octiduo,
celeberrimi festi
IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS,
Augustissimæ Cælorum Reginæ,
DEIPARÆ VIRGINIS
MARIÆ,
ad propagandum, eiusdem SS. Virginis,
sine macula originali conceptæ honorem,
allusionibus Epigrammaticis,
A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopol:
in Alma Vniuersitate Cracouien:
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Pöëseos Professore,

ACCOMMODATÆ,
lucique publicæ
Anno ab orbitate visus XXXV
CONSECRATÆ.

Accessère his, & Anagrammata, ex istis Salutationis Angelicæ verbis,
AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM,
piè, & ingeniosè eruta, & Epigrammaticè illustrata, in honorem SS. Virginis sine macula Conceptæ, iam antea edita, nunc tertio recusa.

Anno D*EI Hominis, ex Immaculata Virgine nati, 1684.*
PERMISSU SUPERIORUM.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

Munificæ erga Purißimam Deiparam Virginem Pietati, *Sacræ ex liliis Iambicis Gratiæ.*

MAnus beata, gemmeique prodiga,
In orbe roris, ORŁOVI manus sacra,
Caputq; dulce, corq; dulce Virgini,
Calensq; zelus, igne tam Seraphico;
Quis Indus? aût quis aureum tibi penu,
Altâ Brasilus eruit voragine?
Ardore tanto quod velis, ditissimi
Maris profunda, pro MARIA fundere:
Vt vna cordis, oris vna cælici,
Columba, gemma, puritatis vnica,
Deique Mater, vna labis nescia,
Tuis triumphet, vna Virgo sumptibus;
Quæ vincit omne, quidquid est Deo minùs.
Triumphus hic est, innocentiæ stupor,
Diuinitatis totius spectaculum,
Excessus Orbis, Angelis silentium;
Dum prodit ore puritas Altissimi;
Quæ sola tantis extitit cunabulis
In orbe digna; quæ Parente, Filio,
Sponsoque sola, digna Sponso Numine,
Augusta Virgo; cûi trophæum nobile,
Dum ponis inter puritatis lilia;
Conceptionis lectulum cûi floridum,
Dum sternis inter Angelorum cantica:
Tibi procella, mille feta Gratijs,
Ruptisque grando liliata nubibus,
Tonat, pluitque rore serta gemmeo,
Rosisque mista, liljjsque secula.
Sed hæc minora, pro corona gloriæ,
Plùs ex abysso Gratiarum, si cupis?
Tibi beatus esto Petre clauiger,
Tuisque pande clauibus cælos; vbi
Abyssus, omnis est Maria gratiæ.

Perillustri, & Reuerendissimo Domino,

D. PETRO STANISLAO ORŁOWSKI,

Protonotario Apostolico,
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis
CANONICO,
Præposito, & Officiali perpetuo
TARNOVIENSI,
S. R. M. Secretario,

Illustrissimi, & Reuerendissimi

D. IOANNIS

DE MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ,
Causarum Generali
AVDITORI,
Domino, & Patrono suo Amplissimo,
Author S. & P.



MORIS *Diuini Canticum, Magnæ Dei Matris, cunas animæ illibatas, Sacraq; Genethlia canens; diu laboratis in me, pro beneficentia tua Gratijs; non in voces tantùm, sed in delicias quoque harmonicas prorum-*

 pit,

pit. Perillustris, & Reuerendissimè Domine. *Meditatas Tu quidem voces, aut numeris suis vinctas, liberali animo haud cogitasti vnquàm; cùm in me gratias, plena manu conferres; mihi tamen sæpiùs vincto, & intra dulces beneficentiæ tuæ nexus hærenti, sensim tandem, mens tota in compedes venit; vt iam non mirùm sit, felicibus hisce ligamentis, me didicisse, de tua in me gratia, non loqui tantùm; sed ad numeros etiam canere. Enthusiasmi huius, Tu mihi Phœbus, Tu Hippocrene; illo animi tui dulcore, illo magnæ mentis spiritu; quo me, diu apud Te animari oportuit; vt ex abundantia cordis, tam Orbi carus, tàm mellifluus prodires; quàm Te beneficum in me sentio, & facilè ipsas etiam gratias superantem. Tot iam annis, vna mihi Siren gratiæ tuæ canit: vnus Amphion, Thebas in me tuas, in opus harmonicum cōdis. Quidni tandem cor istud subsiliat? & modulatis vocibus testetur, Te mihi pridem in deliciis esse. Nec verò, sacris initiata Poësis mea, aliud tibi carmen debuit; quàm Diuinum, & mystico sensu admirandum; quale Tu libens, ad sacros gustus admittis: quod natales animæ illius celebrat; cui post Deum nitor maximus, & purum omne in ortu; in quo de-*

niq;

niq; pulcherrimi operis sui, Deus ipse panegyristes, & author, solus eam dignè cecinit Matrem; quā se dignam creauit. Diuinos hîc conceptus, de tantæ originis arcano, sacri amoris ingenium prodit; non tacente spiritu, quid pro hac Virgine egerit; quæ paritura Deum, sine labe pudoris; in Conceptione sua, Virginem animam sortita est. vt momentum non esset, quo in Dei Matre non fuerit, absq; contactu peccati, caro & anima Virgo. Non alibi certè, quā in hoc argumento, dulcior ille genius; quem sacra pagina spirat, effuso in panegyres Virginis toto planè affectu; vt hanc solam, ex fasciolis deliciarum noscas, Diuini cordis, & oris INFANTEM. *His ego Te deliciis prosequor, & in coronato Vaueli fastigio honorem tuum excipio triumphantem; vt intelligas, Te non in consortium tantùm, Celsissimi Ecclesiæ Senatus; sed in animorum quoq; delicium Venisse; æstimatione virtutis, & amoris apud omnes prodigio; quo soli tibi licuit, ante victoriam cecinisse triumphum. Nimirum ante monilia capitis, in triplici diademate Peraugusti Capituli Cracouiensis fulgentia, Tu iam monile cordis, totus in gemmis, totus in desideriis fueras; cùm Tibi nihil aliud deesset; nisi vt ibi diceres oracula, vbi iam possederas corda. Pro-*

da. Promicabas ex animis, non ſub nube, nec ſub cortina Phœbus; ſed effuſus in radios, & vix teneri facilis; cùm impatiens moræ expectatio cuperet, vt aureus prodires, etiam ante Boſphorum Titan. Rem de Te loquor, coram ijs oculis; coram quibus creuiſti ad ſummam gloriam, maior quocunque de Te iudicio maximo; & ideo ante non plenè reuelatus; vt hîc Te auguſtiùs explices; vbi nunc eminentiùs ſpectaris. Veſtigia tua ad hoc culmen honoris, erepta quidem impari eloquentiæ; ſed non erepta Venerationi; quæ Te ſequitur, vt fortuna pediſſequa virtutis, eo meritorum calle; quem Tibi coronauit, animi tui ebur, & lilium. Poſtquam enim Athenæ Tibi Regales, & geminæ in Peripato laurus, ab Auguſta Iagellonum Pallade veniſſent; ſucceſsêre deinceps omnia, ceu coronis, & lilijs nexa; vſque ad liliatos Columnæ OBORSCIANÆ *vertices; cuius in iudicijs celſitudo, Tibi gloria, & triumphus. Apex quippe ingenii tui, eruditorum in Iure ſummitas; iudicii tui Senaculum, Iureconſultorum gloria; os, animus, eloquium, meriſſimæ Gratiæ; etiam in roſtris Aquinaticis, pro Magno Thoma, ipſos Atticæ fauos locutæ; corona ſapientiæ tuæ, ipſas etiam laureas excedens, magni apud poſteros nomi-*

nis,

nis, victrix, & perpetua laurus: stylus denique, & calamus in Iure tuus, ipsa Themidis dextera, ipse Consus: non poterant celsiùs attolli, & iustiùs æstimari; quam ab adamantina æui nostri, & Ecclesiæ Dei columna, lydio lapide virtutis, Reuerendissimo NICOLAO OBORSKI, *Suffraganeo, & Officiali Cracouiensi; à quo credita regimini tuo, Consistorij Crac: dignitas, propè in Diuum quoddam Augustale transierat, ob eam iudiciorum maiestatem; quam magni* GRABIANOVII *sanguis, & Spiritus in Te; prout & in cultißimo pectore germani fratris tui,* Præcellentissimi Viri MATTHÆI ORŁOWSKI *Archidiaconi Curelouiensis, excelsis animi dotibus, & in Ecclesia Dei meritis, ipsa etiam cogitantium de se meditata elogia supergreßi, ad stuporem vsque animauit. Audiimus toties, & hæsimus in te attoniti; cùm mera Iudiciorum intelligentia, immensas negotiorum moles, ceu momento circumageres; cùm absque coacto in nubem Catonis supercilio, præstò adessent graues Tibi sententiæ, solida, & neruosa responsa, inconcussa, & ære decemplici fusa decreta; parati vbique summæ prudentiæ Delphi, Argiuis vtique maiores; quia san-*

ctiùs,

ctius, & Diis propius locuti ; quoties causa Dei, Ecclesiæ immunitas, Cleri disciplina, dictamen veri, & iusti poposcit. Debet Tibi aureolam in cælis Doctoralem, Tuus, & noster magnus Patriarcha D. IOANNES CANTIVS ; *in cuius formando, de vita, & miraculis processu, nisi zelantissimus Subpromotor Fidei, oracula dixisses ; nunquam supremo* INNOCENTII XI. *Pontificis Maximi oraculo, Diuis Confessoribus insertus, nouum Orbi Polono lætitiæ melos,* CANTIVS *cecinisset. Ab hoc Olore ibi caneris ; vbi pro Te coram Deo, tot dulces Etesiæ spirant ; quot promouendis Diuorum honoribus, & sacris in tanta Diœcesi negotiis, felices curas tuas, admirabili dexteritate impendisti. Romæ quoque auditus, & iam cognitus, ex animi vultu ; iamque ante iudices de Te oculos, inter Argos, & ocellos Iurisprudentiæ, à summis Curiæ Romanæ Viris computatus ; agente in distans, illo tuo viuacissimo spiritu ; quo non vnius causæ plasma, iam propè exanime, iam absque scintilla vitæ, consilio tuo fecisti in animam viuentem ; felix in Pyrrhæ saxis animandis Prometheus, nouus ex alto cadentium Atlas ; & inter*

naufra-

naufragia Iuris, etiam quibus anchora ſpei exciderat, fortis, & inuictus vſque ad Promontorium bonæ ſpei Neptunus. Inde in ſinu tuo, Fortunatæ omnibus Inſulæ, deſiderata pacis halcyoniæ, conſilij, & reſpirij ſuauiſsima Tempe; in quo ſinu, Diœceſis hæc, tàm exquiſita, tam ordine, & decore ſuo inſignis, vt ſuauiùs, & diutiùs recumberet; Clerus illius, iam olim cælum ſuſpirijs fatigans, eòuſque inclinauit; vt tandem Sponſæ huic Diuinæ, qui fueras in delicijs; cor, & anima fieres in reſponſis. Seruatum id Diuinitùs, Celſiſsimo Præſuli, ac Principi, IOANNI MAŁACHOWSKI *Epiſcopo Cracouienſi, Duci Seueriæ, Gratiarum omnium vinculo, & vinciri Auguſtis nonniſi dignæ manibus Faſciæ; cui arcano cæleſti conceſſum; vt gemmas nonniſi Virorum, & ſelectiſsima animorum cimelia, in Orbis pretium eligat, & ſeruet. In hoc ſacro velamine apparuiſſe debueras, ſpiritu planè Diuino, ceu Protogene cæleſti, Te ad amuſsim delineante; quàm ad normam virtutis exactus, quàm ex oraculo Iuris pretioſus fueris iudice; tanto Præſule; qui pro Regibus, & de Regibus toties oracula*

dixit:

dixit: qui à trabea mu[illegible], [illegible]is, ad Tiaras Pontificias veniens; nouit quoque animorum Regina Sapientia, vbi deposuit, coronato Vauelo pares, animi sapientis, & trabeas, & fasces. Augustum hac in re iudicium, secula illi debebunt; donec Peraugusti Capituli Cracouiensis, tot Antistitum in Orbe Polono Sedes augustissima stabit: quod inter tot Illustrissima sidera, Regum, & Vaticani fastigij oraculo, Te quoque connumeratum, Sidus fecerit tàm illustre: quam dies quoque, quo hæc Vota de Te, à Magno Præsule concepta, & prolata fuerant; sine originali macula conceptæ, Reginæ cæli peruigilio, fuerat planè Serenissima. Atque hoc est illud dulce arcanum, quod hîc de Te reuelamus, quod Orbi canimus; nimirùm, quod CANONICATVS *Cracouiensis, amplissimus honos tuus, inter lilia Virginis sine macula Conceptæ, conceptus, & ortus fuerit; poposceritque omninò; vt gratulatorios illi applausus, non profani Vatum enthusiasmi canerent, sed Cantica Canticorum: vt ad refocillandum, toties pro Tribunali fatigatum spiritum tuum, audias cælestem de Virgine harmoniam; di-*

gnus

gnus in Orbe audiri, Causarum tanti Præsulis Generalis AVDITOR. *Sed me vim, magno quidem, sed modestissimo animo tuo fecisse; dum minimam hanc, maximæ claritudinis, & gloriæ tuæ scintillam, Orbi reuelo; vis beneuolentiæ tuæ, & vrgens gratia coëgit. Patere vices tuas,* Perillustris & Reuerendissime Domine; *quibus Tibi placuit, amicam in me vim experiri, dum me gratijs tuis oneras. nec mirare, quod Musis meis, hactenus à Te dilectis, & adeo tenerè semper habitis, inter summa decora tua commorari, volupè sit; quod tecum deliciari libeat; cùm præsertim, sacras hasce, & innocentes, Magnæ Virginis delicias, tibi offeram. Quæsiui illis, vt Alexander olim Macedo, Homeri scriptorum delicio, pretiosam Darij arcam; & inueni apud Te, pietate, virtute, sapientiâ, zelo Ecclesiæ Dei, munificentiâ in decorem Domus Domini, liberalitate in egenos, animi bonitate in omnes totam gemmeam, totam aureâ charitate nitentem; qualis Virginem sine macula decet. Accipe igitur hoc cultûs, & grati erga Te animi mei monumentum; Canticumque de illibato eius Virginis ortu; cui post*

Chri-

Christum, nihil simile in ortu. De cuius plenitudine gratiæ, minima hæc atomus venit. Quam Tu integerimo pectori, & me gratiæ tuæ inuiscera. fauenteque Tibi DEI MATRE, *cælosque ad vota nostra inclinante; viue eam ætatem, & imple gloriam; quam supra vota mereris. Hoc agimus, iusto ad* DEVM *pro Te suspirio; hoc Tibi ex Gratiarum abysso poscimus: vt qui pro Purissimæ* VIRGINIS, *Immaculato dum Zelas honore; Conceptionis eius delicias, sumptibus Tuis munificis, audiri in Orbe fecisti; sis ipse cordi, sis in delicijs* MARIÆ; *& pro Octiduo suauissimi in terris, de* MATRE *Diuina concentus; Cantica Canticorum, de* FILIO *eius, audias in cælis æternùm.*



IESVS

DELICIARVM
IN CONCEPTIONE SVA
PARADYSO,

SPONSI Cælestis Thalamo Purissimo,
Amoris Diuini, in Canticis Canticorum
Suauissimo Argumento,
Primogenitæ ante omnem Creaturam,
Matri Pulchræ Dilectionis,
DEIPARÆ VIRGINI
MARIÆ,
absque macula originali Conceptæ.



Ltitudo Diuitiarum, Sapientiæ, & Scientiæ DEI, quantumuis incomprehensibilia iudicia sua in Te, & inuestigabiles vias, ô DEIpara Virgo fecerit: mirùm tamen est, quomodò ad abyssum gratiæ, quâ Te absorptam nouimus; etiam vermiculos repere; quomodò ad gloriæ immensum, quod luce post DEVM maxima nitet, etiam cæcos suspicere velit. Mysteriorum in Te arcana, quæ non licet homini loqui, posuerunt lucem latibulum suum: videri tamen, etiam

intra hanc cortinam, Mater misericordiæ non renuis; ducentibus intrò amore Tui, & fiduciâ; ex quibus Tu, palpitantibus ad tantam lucem oculis nostris, collyrium fecisti. non erepta nobis, quantumuis supra omne id, quod DEVS non est, maiestate solij euecta; cùm inclinatione Tui, & affectu materno, etiam ad abyssos descendas. Candor lucis æternæ, & figura Substantiæ Patris, vnigenitus DEI Filius, cùm posuit in Te, posuit in Sole tabernaculum suum; non ideò tamen, ô excellens sensibile! corrumpis sensus nostros. quinimò inuitas, & reficis etiam corruptos: delicio tuo maximo; si tenebræ quoq; quæ sunt super faciem peccatorum abyssi, ad Te suspirent; vt lux fiant in Domino. si guttis noctium tota madeas; dum in nocte peccatorum, rorem pœnitentiæ, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, expectas. Hoc nimirùm egit in Te, velata carne Diuinitas; cui florem sanguinis, in carnis substantiam dedisti; vt communicatione tui, ac velut prodiga effusione ad omnes, Matrem Te illius esse testareris; qui prodegit Substantiam Patris, & exinaniuit semetipsum; dum se communicat, & dat omnibus affluenter. Delicias eius cum filiis hominum, Tibi debemus; cùm eum feceris, tanquam vnum ex nobis;

vt pro-

vt procul à maiestate, & non obruti à gloria; nostrum in eo de Te sanguinem, tantò confidentiùs, nimirùm vsq; ad delicias amaremus. Hoedinæ istæ pelles, quæ lenem aliàs Diuinitate suâ, pilosum humanitate nostra fecêre; in prædulces amoris nostri concesserunt illecebras, per Te ô Sapientissima Rebecca! quæ Verbo Incarnato, pelliculam hanc prouidisti; vt bene dictioni nostræ consuleres. Suauissimo illo amoris lusu, quo immensa DEI bonitas, hœdis in agno benedixit. Felix illa venatio, quâ Tu ô pulcherrima mulierum! non longè post vestigia gregum abiens, inuenisti citò, quod amori Diuino in pulmentum; nobis in salutem concederet. Sola præ omnibus intelligens, quæ sunt DEO ad gustum, ex cuius ore prodiisti. Hic est ille delicijs affluens, in ore Altissimi, genialis thalamus; qui duo nobis, amoris Diuini illicia genuit, Filium, & Matrem; illum, vt ex Matre VERBVM CARO fieret; hanc, vt in Filio, Carnis nostræ Substantiam, Diuinitati sociaret. In vtroq; consultum, fiduciæ nostræ; vt tàm dulcibus inuitamentis, ad non ignota ducti; carnis de carne nostra illicio, ad vtriusq; amorem raperemur. Nec confundit sontes, reatus sui formido; cùm amor, qui foràs mittit timorem, adinuenerit; quo-

modò Filius sine peccato per naturam, coram Patre; Mater sine peccato per gratiam, cora n Filio, pro sontibus ageret; & in vtroq; causa nostra euicta triumpharet. Quidni ergò, tantis in Te, ô Mater! salutis nostræ delicijs, volupè sit nobis teneriùs affici? quarum vel sola, ex tot mysterijs, Immaculata Conceptio tua, tàm fecunda est; vt haud frustra in ortu tuo, præ illarum excessu languens, & diffluens, innixa super dilectum, prodiisse dicaris. Tota nimirùm Conceptionis Tuæ gratia, ex eo instanti, quo in Matrem Dei electa fueras; innixa dilecto tuo, ex brachiis illis pependit; quibus vniuersa Orbis redempti salus nititur. immensæ voluptatis spectaculo, cùm Filius, ex Patris complexu; Tu ex complexu Filij, amabili pendens delicio; securissima Ortus innocui Mater, exemptionis Tuæ priuilegio, in fonte gratiæ fruereris. Ergonè deliciarum Paradysus, Euæ introitum in Orbem coronat? quæ spinas peccati genuit. Conceptionem Tuam non coronat? quæ gratiæ lilia gignis. Ergonè Genethliacum Tibi carmen, non cecinit ipse? qui Te non de costa Adam; sed de corde suo eduxit. Cecinit profectò, suauissimo hoc Cantico Canticorum; quod in Encomio, & admiratione pulchritudinis Tuæ totum;

tum;

tum; in vnctione Spiritûs, in osculis, & in delicijs purissimæ animæ totum, sub quolibet hîc arcano pulchram Te sine macula canit. Lilia hîc, non verba; gratiæ, non eloquia; gemmæ sensuum, & deliciæ meræ; dulces amantium luctæ, fugæ, latebræ; felices cordium plagæ, thalami, languores; internarum voluptatum fontes, putei, horti; omnia florida, & ex ingenio amoris, ad delicias Spiritûs adinuenta: Tu in omnibus pulchra; Tu puritate ineffabili decora; Matris Diuinæ honori, dum præpararis; Genethliacum hoc carmen, in ortu tuo audisti; quod deinceps, ad altissimum Verbi Incarnati Mysterium, in Vtero Tuo perfectum, amor Diuinus, in Epithalamium vertit. Idioma cæleste, quô hîc de Te Spiritus loquitur; quo in panegyres Tuas; mellitissimi dulcoris vim omnem profundit; ante omnes Intelligentias, Tu sola nôsti; quæ in mente Diuina, ante omnes puras Creaturas concepta; iam tum, cùm certa lege, & gyro vallabat abyssos; vt Verbum abbreuiatum Orbi pareres, destinata fuisti. Hoc est profectò, ante abyssos culpæ, concipi; & ludere coram eo omni tempore; coram quo, nullum momentum fuerat; quo Tu non luseris, secura gratiæ, nescia culpæ; digna, in cuius dedicati-

 one;

one; qui in Te Sancta Sanctorum condiderat, Sacrum ipse Tibi melos occineret DEVS Fecerat quippe, dedicationis purissimæ animæ Tuæ, festiuitatem celebrem, Rex ille pacificus; qui Te in Domum gloriæ suæ augustam; in qua nihil erat, quod auro mundissimo non tegeretur, ab æterno ordinauerat. Vtq; constaret, quis ille dies lætitiæ cordis eius fuerit; Canticum, quod ipse Tibi ante sæcula cecinit, in tempore reuelauit. author ipse Solennis Octidui, quo Te nunc, absq; macula Originali Conceptam veneramur; in cuius figura Salomon olim, post solennia Dedicationis, Octaua die populos legitur dimisisse. Has ergo Conceptionis Tuæ, Octiduanas delicias; ex illo, Cantico erutas; in quo deliciarum Spiritus medulla,& summitas omnis; dum Tibi psaltes indignus concino: abyssus miseriæ, abyssum misericordiæ, in voce Cataractarum mearum; quæ visui meo obstacula posuerunt, inuoco: vt secùs Te viam, quæ ducit ad vitam, cæcum sedentem; cantantemq; coram Te, non transeas, non despicias ô Virgo! quem pro Cantilena hac, si interoges; Quid vis, vt faciam Tibi? prostratus ad pedes maiestatis clamabo; Domina, vt IESVM,& Te videam in æternùm.

Ad

A D
Puriſſimam in Ortu Immaculato,
VIRGINEM DEIPARAM,
contra impuri aëris contagia,
ſub tempus graſſantis peſtilentiæ,
ODE VOTIVA.



CÆdes ab alto, denſaq; funerum
Mucro cruentus, dum geminat mala;
Pallentis in vmbra cupreſsi,
Heu gemimus! tremulaſq; paſsim
Ingens latebras exanimat pauor.
Veſpillo mortis nuntius, & grauis
Iræ ſatelles, non ferenda
Tot cinerum, validæq; cladis
Sub mole ſudat. flos gemit vrbium,
Cor dulce Craci palpitat, annuo
Luctu fatigatum; nec vlla
Mortis atrox requie, macellum
Fatiſcit, inter buſta cadauerum,
Strueſq; tantas. Staminibus Dea
Impar ſecandis, ſæpè vellet
Fila truci poſuiſſe dextrâ;
Diramq; fati ſiſtere forcipem:
Auara ſed mors, ſpirat anhelitu
Peſtem venenato; ſitiq;
In rabiem calet æſtuoſâ,

Fla-

Flagrans in vrbis funera Regiæ.
Mephitis eheu fœda repullulat;
Humana, robusto sed omnis
Victa malo, medicina cessat.
Impurus ardor pestiferæ luis,
Famesq; culpa est. toxica quæ necant
Halamus ipsi. non Erinnys,
Non Erebi furias, malignum
Crinita sæuis Tisiphone anguibus;
Ciens in Orbem. Sufficimus mali
Grassantis authores flagello.
Quam patimur, fabricamus ipsi
Mortis dolabram. Sæpèq; quod tegit
Vagina ferrum, nostra rapit manus,
Fato reluctanti; diuq;
Ipsa suo Libitina collo,
Praua est voluntas; quò sibi longiùs,
Exasciatos interitus paret
Maiore damno, prouocatam
Plùs acuens gladios in iram.
Vel sola nostræ, fœda licentiæ
Sentina, quid non inficiat? tumens
Fastu tot in plagis nefasto;
Semper egens, sitiensq; semper
Maiora luxus. cæca furoribus
Caro impudicis, Idalias faces
Vrgente Baccho; temulentam
Qui cyathis maduisse Cyprum,

In laude ponit; quominùs ad ſua
Stupra erubeſcat; quem grauido Paphi
Fætore non corrumpat Orbem?
Barbarie media reperti,
Cenſus pudendi per capita, ordine
Iniurioſo, vindicias poli
Quas non requirant? vt tributo,
Ipſo etiam tumulata buſto,
Non eximantur corpora, prô nefas!
Hæc an tributum mortis, & horridas
Tabo ſepulchrorum lacunas,
A Nemeſi toties vocata,
Non ritè poſcant? hoc agimus mali
Origo noſtri; ſæpèq; plangimus;
In quæ flagellati, deinceps
Incidimus grauiore culpa.
Quin & ſub ipſa, quâ premimur manu,
Ceruice dura tollimur. & lubet
In ore fati, diſſoluto
Hêu toties pede calcitrare.
At ô ſtupendæ, Virgo puerpera
Flos puritatis! non ideò graui
Lapſis reatu, tota nobis
Spes cecidit pietatis in Te.
Impura nobis exitij licet
Vorago ſimus, peſte nocentior
Abyſſus, & fæx ima culpæ,
Mille venena, neceſq; mille

Vomens in Orbem; sternimur ad tuas
O Virgo plantas! victima faucibus
Hærens in ipsis; iamq; fati
Ponè rogos trepidans, diuq;
Exasperatis digna furoribus
Lernæ malorum. Te macula sine
Candoris ô summi venustas!
Digna DEVM genuisse Mater;
Intaminatæ plenus originis,
Quam fulgor ambit; cordis anhelitu
Spiramus extremo. gemensq;
Vox medijs sonat hæc fauillis;
Succurre Mater, purior Angelis;
DEoq; tantùm munditie minor
Ortus beati. cûi refulsit
Quæ caperet iubar increatum,
Lux innocentis maxima gloriæ,
Contagiosi nescia criminis.
Tu sola, primos ante lapsus,
Vindiciis fueras supernis
Erepta culpæ. Tu proin omnium
Fons Gratiarum, totaq; summitas,
Cùm sis creatæ puritatis,
Delicio paradysus omni
Vernans in ortu. Suaueolentibus
Extingue mortis toxica gratiis;
Latè refusum fac mederi,
Æthereris thymiama plagis;

Quo-

Quo gaudet in Te, dulce cor ipsius
Diuinitatis. tollimur áéris
Ictu maligni, pestis atræ
Cædua gens, tumuloq; mortis
Ægrè superstes. Tu myrothecijs
O Virgo cùm sis carior omnibus;
Nidore culparum scelesto,
Putida quod vitiauit eheû
Amurca nostri, longaq; vis mali;
Tu fonte vitæ, milleq; balsamis
Curabis, auræ pestilentis
Certa salus, & aroma dulce.
Speremus. an non vt perimat luem,
Orbis redempti, virgineo sinu,
Quæ clausit æternam salutem,
Numinis est apotheca Virgo?



JESUS, MARIA, JOSEPH.

DELICIARVM OCTIDUANARUM DIES PRIMA.

Ex Capite Canticorum I.

I.

Verſ. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.*



Nte Creaturas omnes, quæ proxima Chriſto
Creditur in ſummi, mente fuiſſe DEI,
Electa in Matrem Virgo, ſuauiſsima poſcit
Oſcula; Diuinus quæ ſibi figat amor.
O Mundities animæ quanta hæc! fiducia quanta!
Pura Creatoris ſuauia velle ſui.
Ore DEI, ſi digna fuit ſacra baſia ferre?
Hæc num primæuæ, conſcia labis erat?

II.

Quia meliora ſunt vbera tua vino.

FIlius æterni pendebat ab vbere Patris,
Sugens immenſi, par DEVS, eſſe DEI.
Hoc illi nectar, ſummi vinumq; ſaporis,
Muſteus hic illi, fons Deitatis erat;
Vbere tàm dulci lactatus, ad vbera Matris
Cur tamen, in Chriſto dulcis anhelat amor?
Vbera ſunt Matris, vino meliora Paterno;
Suxerat ex illis, nam potuiſſe pati.

III.

III.

Fragrantia vnguentis optimis. Verſ: 2.

ILle ſinus Patris, Diuinâ prole beatus,
Æqualem tulerat, qui Deitate DEVM;
Balſama delicijs Verbi quàm dulcia, quamq;
Dulcibus vnguentis, vbera plena dedit!
Sed tamen electæ, quanta hæc fragrantia Matris!
Vberibus caſtis, gratia quanta fuit!
Æqualem Patri Sobolem, de lumine lumen,
Diuino poterat, quæ rapuiſſe ſinu.

IV.

Oleum effuſum nomen Tuum.

NOmen habes Virgo, quod latè funditur; imò
Celſo quod ſuperat, cuncta creata gradu.
Mentibus Angelicis, Tu purior omnibus vna;
Cedit in humanis, omne decuſq; Tibi.
Effuſi cêu vis olei, ſublimior extat
Semper, & àëriis motibus alta petit;
Tollitur ad ſummùm, tua ſic Conceptio ſemper,
Poſtq; Deum, nil Te, puriùs Orbis habet.

V.

Adoleſcentulæ dilexerunt Te.

FElices animæ, quibus illibata pudoris
Virginei dos eſt, ſolus amorq; Deus,
Caſta verecundæ, quod ſeruent lilia mentis,
Angelicæq; decus Virginitatis ament;
Hoc debent Concepta tibi ſine labe Virago;
Dulce eſt Reginam; nam ſine labe ſequi;
Innu-

Tu vinum ſuper omne ſapis, Tu Maſsica vincis
Omnia, delicijs omnibus vna ſatis.
Tu lactas Chriſtum, quem dulcis inebriat ille,
Vbere de caſto, nectareuſq; latex.
Nos quoq; cùm lactaſſe Deum, Te Virgo fatemur,
Sugimus vberibus gaudia mille tuis.

XII.

Recti diligunt Te.

QVod magè poſtChriſtũ, præter te diligat orbis,
Non eſt ô Mater, Filia, ſponſa DEI!
Viſcera non habeat, qui viſcera non amat in te,
Plena ſalutifero nectare, plena DEO.
Præcipuè tamen es rectis dilecta boniſq;!
Exemplar recti, nam benè rectus amat;
Sed nec inique tibi, Cauſæ tolluntur amoris;
En propter te, vt ames, viſcera Matris habet.

XIII.

Verſ. 4. *Nigra ſum, ſed Formoſa, filiæ Hieruſalem.*

QVi me formauit, Rex formoſiſsimus ipſe,
In Me, perfectum contulit omne decus.
Nigra mihi facies, ſed mens pulcherrima; per quam
Diuinis oculis, complacuiſſe datum.
O animæ electæ! quamuis mihi carnis origo,
Vobiſcum fuerit Conditione pari;
Forma animæ diſpar. peccati nigror in illa
Non fuit; hinc nil me pulchriùs ante DEVM.

XIV.

Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

Triſti-

TRistitiam, Nigrumq; sonat vox Mystica Cedar;
Hæc est peccati, sors inimica Deo.
Quos animæ labes infecit, & arguit intùs,
Tristentur; quoniam displicuêre Deo.
Pellibus humanis Salomon circumdatus in Me,
Mortali voluit Nube latere Devs;
Hinc mihi perfecti Species, & forma decoris;
Vnum non patitur culpa, Devsq; thronum.

XV.

Nolite me considerare, quia decolorauit me Sol. *Vers.* 5.

HUmani pupilla oculi, considerat in Me,
Humanis quantùm mentibus ire licet.
Mortales quod Me videat genuisse Parentes,
De Me, quod de alijs credere sueuit idem.
Altiùs ô vestras populi iam tollite Mentes!
Vnde animæ facies, decolor ista Meæ?
Qui me dilexit, nimio qui fecit amore
Fuscam; Diuini solus hic æstus erat.

XVI.

Filij Matris meæ, pugnauerunt contra me.

GRatia Me genuit, primæuâ labe carentem,
Hæc mihi fons animæ, veraq; Mater erat.
Hæc post Me natos genuit, qui sorte beata,
Electi fuerant, pectora grata Deo.
Pugnauêre tamen contra Me; quando carere,
Conceptum Maculâ non tenuêre Meum.
Sed pugnæ cessent, tandem pia causa triumphat,
Diuinæ Matris, quando triumphat honor.

XVII.

Posuerunt me custodem in vineis.

VInea, quam Diuina manus plantauit in Orbe;
Est anima, æterni nobile Patris opus.
Sed concepta breui cecidit, dum labe Parentum,
Illam est Tartareus depopulatus aper.
Restaurata dein, ne rursum corruat; ipse
Custodem fecit Me, posuitq; DEVS.
Si procul à macula, sacras custodio vites;
Ipsa vt sim custos immaculata, decet.

XVIII.

Vineam meam non custodiui.

NE Domini Sabaoth, pulcherrima vinea rursum,
Corruat, & tantum crimine fraudet opus;
Hoc ego commissis, custos vigil arceo curis;
Quamq; ego defendo, vinea nulla perit.
Si tueor, curoq; alienas; cur mea quæris,
Incustodita est, vinea sola mihi?
Qui Me plantauit, primâ fecitq; carere
Labe, meus custos Conditor ipse fuit.

XIX.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas.

Indicium de Te, quæro dulcissime IESV.
Quonam dilectum, te mihi fecit amor?
Delicias vbi Nate tuas, vbi pascua sacra
Occultas? votis æstuo tota Meis;
Sed quid, vbi pascas, IESV dilecte requiro?
In Me secretum, quod peto, dulce latet;

Paſcis âb æterno, Diuini cordis amores,
Hìc vbi ſunt animæ, Lilia caſta meæ.

XX.

Vbi cubes in meridie.

DVm medio cæli, nimiis Sol æſtibus vrit,
Flagranti paſsim quæritur vmbra die.
Quæ Te mî IESV requies, quod tegmen inumbrat?
Æſtibus immenſis, dum Tuus ardet amor.
In me, quam plenâ formatam luce creaſti,
Sic nitidam, medio Sol velut axe nitet;
Ecce Tibi requies. humanæ carnis in vmbra,
Labe carens vterus, dulce cubile tibi.

XXI.

Ne vagari incipiam, poſt greges ſodalium Tuorum.

DA mihi Te IESV, quem totis quæro medullis,
Te ſimul, atq; Tui paſcua quæro gregis.
Nulla mihi ſapiunt hominum veſtigia; nullus
Me delectat, vbi Te ſine flagrat amor.
Grex Tuus, ô Paſtor! peccauit origine prima;
Inq; ſuas abiit, deuia turba vias;
Poſt hunc Nate gregem, me non permitte vagari;
Immaculata ego ſim, de grege ſola Tuo.

XXII. *Verſ. 7.*

Si ignoras Te, ô pulcherrima inter Mulieres, egredere.

FEcerit eximiam, quàm Te mea dextera Matrem,
Vnum, quod ſtupeant cuncta creata decus;
Fæminei quàm ſis pulcherrima gloria ſexus,
Si tua te ſpecies, ſi tua forma latet.

Egredere ô Virgo! Patriamq́, domumq́; relinquens;
De pura generis conditione tui
Egredere. & quidquid cælo, terraq́; tenetur,
Præter Te, post me, nil sine labe vide.

XXIII.

Et abi post vestigia gregum.

SI necdum plenè constat tibi, quàm tua Virgo,
Forma animæ præstet, non habeatq́; parem;
Contemplare greges hominum; cis pascua mundi;
Quos tulerunt tot iam sæcula, quosq́; ferent;
Post hos Mater abi, vestigia nulla videbis,
Quæ primam culpæ, non habuêre notam;
Tu seruata mihi, Diuinæ Matris ad augem,
Inconcessò alijs tramite, sola venis.

XXIV.

Et pasce hædos tuos:

AGnos vt pascas, agni purissima Mater;
Te decet innocui, sedula cura gregis.
Quid Tibi cum prauis, quid cum sordentibus hædis?
Indigna est curis, turba petulca tuis.
Præter te Virgo, cùm sis sine labe creata,
Omnes sunt hædi, quos nota prima grauat;
Illos pasce tamen; nam tu pietatis abysso,
Agnos ex hædis, reddere sola potes.

XXV.

Iuxta Tabernacula Pastorum.

CVr non in campis, Pastorum sed propè sedes;
Diceris hædorum, pascere Virgo gregem?

An

An mites agni, loca cùm longinqua pererrant,
Non est sollicito, pectore cura Tibi?
Hædos non pateris discedere longius; vt sit
Illorum propior, te vigilante salus;
Nam quoties Isaac cælestis fercula poscit;
Pulmentum ex illis dulce, Rebecca paras.

XXVI.

Equitatui Meo, in Curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea: Vers. 8.

AVgustis dignas Matres, Sponsasq; Monarchis,
Circumstant vigiles, excubiisq; tegunt.
Tu Regis Regum, non custodita fuisti,
Mater ab æterno, Sponsaq;, amica mihi?
Si currus Pharao celeres, equitumq; phalangas,
Seruando poterat, Rex habuisse throno;
Currus in excubijs, vigilant Pharaonis equestres,
Pro te, non poterat cor vigilare meum?

XXVII.

Pulchræ sunt genæ Tuæ, sicut turturis. Vers. 9.

TOta licet facies, pulchræ sit gloria formæ;
Figuntur solis oscula grata genis.
Huc amor inclinat, roseo dilecta pudori
Purpura, vbi castum seruat in ore decus.
Inde genas Virgo, formauit turturis in Te,
Ad sua te seruans, oscula pura Devs.
Vnius cùm sis, purissima turtur amoris;
Sunt Diuina tuis, oscula digna genis.

XXVIII.

Collum Tuum sicut monilia.

Cerui

CEruicem niueam, gemmis, auroq́; nitentem,
Non vnum cingit, Virgo, monile Tibi.
Sufficit hoc alijs vnum, non sufficit in Te;
Cûi gazas omnes, gratia summa dedit.
Infantis IESV, manibus tua colla prehendens,
Brachia brachiolis dulcia, stringit amor.
Omnia te Virgo, pretiosa monilia cingunt;
Hoc pendet collo, quando monile Tuo.

XXVIIII.

Vers. 10. *Murenulas aureas faciemus Tibi.*

COnsilium Diuina Trias, de Virginis ortu
Instituens; vt sis omnipotente manu,
Purior ex cunctis, inquit, sine labe creata,
In te præcipuam rem faciamus, opus.
Eua parens, legis Diuinæ vincula rupit,
Extenditq́; suam, ad poma negata manum.
Vt nunquam pecces, manibus radiantia puris,
Aurea Diuini vincula, amoris habe.

XXX.

Vermiculatas argento.

HVmana sub nube DEVM gestare latentem,
Concessum manibus Virgo Beata tuis;
O rnatus quidni deceat lectissimus illas?
Vlnas tàm Sanctas, aurea dona decent.
Circumdans puras pretiosâ catenula dextras,
Cur tamen argento, vermiculata tibi est?
Argenti color hic, specie qui candet eburnâ,
Omni conceptam, te sine labe notat.

XXXI.

XXXI.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea, dedit odorem suum. *Ver s.11.*

REx meus, æterni verbum Patris, ante creata
Omnia, dum natus destinat esse meus;
In thalamo cordis Diuini, dulcè recumbens,
Captus odore meo suaueolente fuit.
Ante venenatos primæuæ labis odores,
Grata DEO, suauis iam mea nardus erat.
Scilicet hoc in me, decretus Numine summo,
Matris Diuinæ, maximus egit honos.

XXXII.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. *Vers.12.*

COrpora non patitur corrumpi myrrha sepulchris,
Aduersùm putridos, certa medela situs.
O amor! ô immensa mei dilectio IESV!
Qui dum me redimit, nobiliore modo;
Criminis, & primæ procul à putredine culpæ,
Præseruans animæ, lilia pura meæ;
In cruce præuiso medicamine mortis amaro,
Fasciculus myrrhæ, iam mihi factus erat.

XXXIII.

Inter vbera mea commorabitur.

VIrgineo IESVM Mater, si nectare pascis,
Quid tecum, ingrati myrrha saporis habet?
Hunc ego fasciculum, super omnia dulcia summè
Diligo, & vberibus non sino abesse meis.
Hîc in deliciis, hîc inter plena moretur
Gaudia, qui pro me mortis amara tulit.

Vbera

Vbera, quæ fecit primæuæ nescia labis,
Dilectus meus hæc, vbera sugat amor.

XXXIV.

Botrus Cypri, dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

FLoruit Engaddi, plenis quæ vinea botris,
Mystica sanguineæ vinea mortis erat.
In pretium mundi diuina fluenta redempti,
In cruce confixus fundere botrus amat.
Ille meo fuerat sumptus de sanguine sanguis,
Quem pulcher Cypri, fuderat ille botrus.
Si pulcher meus est botrus, vitisq; parensq;
Diuini, cur non immaculata botri?

XXXV.

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es.

DOna venustatis, quæ me tribuente recepit
Omne, quod in pulchris dotibus orbis habet;
Omnia te solam Virgo comprêndere feci;
Vt Mater fieres immaculata mihi.
Siue animam specto, prima sine labe creatam;
Fcce animæ, tota es pulchra decore tuæ.
Sêu corpus specto, caro sit tua pulchra necesse est;
Quam de Te sumpsi, nam mea pulchra caro.

XXXVI.

Oculi tui columbarum.

PVlchram te formans, summæ bonitatis abyssus,
Exactum fieres, vt Deitatis opus;
Innocuis oculos animæ, niueisq; columbis,
Quos in te laudat, cur dedit esse pares?

Nempe

Nempè columbarum, vitreis defixa fluentis,
Hostiles vmbras, lumina pura cauent;
Sic pupilla Deo tua cùm defigitur, omnem
Vmbram peccati, pura columba fugis.

XXXVII.

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Vers. 15.

SI maiestatis decus est, seruare decorum;
Immensi decus hoc, quis neget esse throni?
Nil sine Te pulchrum, cùm sis pulcherrime Iesu,
Totius pulchri fons, & origo boni;
Pulcher es, ô dilecte meus, totusq; decorus;
Omnis cùm tua sit gratia, forma, decor.
Hoc tibi Rex Regũ pulcherrime, nõne decorũ est?
Vt Mater quoq; sit, tota decora tibi.

XXXVIII.

Lectulus noster floridus.

FLos illibatus, primorum quando Parentum,
Labe graui cecidit, mortiferaq; lue;
Horrida peccati successit, acutaq; spinis
Sors, infelici continuata malo.
In thalamo cordis, sed ego concepta Paterni,
Ante omnem culpam, iam tua Mater eram;
Floridus hic fuerat tibi lectulus, & mihi IESV;
Spinas peccati, nesciit iste thorus.

XXXIX.

Tigna domorum nostrarum cedrina.

MOrtalem postquam generis dilectio nostri,
Te bone mi Iesu, fecit habere domum;

Immaculata caro, tibi de me Virgine sumpta,
Hæc fuerat tanto Numine, digna domus.
Incorrupta tuam decuit domus altera Matrem,
Quæ purâ caperet Virginitate Deum.
Hinc sine peccato, nostrarum tigna domorum;
Ex incorrupta nempè fuêre Cedro.

XL.

Laquearia nostra Cypressina.

AVthori vitæ dilecta palatia IESV,
Viscera pura tibi, casta Virago dedi;
Hîc fontem vitæ, mortis qui funera vicit,
Viuaci decuit ponere tigna Cedro.
Pallentes sed quid laquearia nostra cupressos,
In laribus vitæ, pignora mortis habent?
Quæ culpæ macula me præseruauit ab omni,
Cupressus mortis, Crux tua vita mihi.

DIES SECVNDA.

Ex Capite Canticorum 2.

XLI.

Ego flos campi.

Vers. 1. HOrtorum flores, quamuis non vna venustas
Pingat, odoratis vndiq; fœta bonis;
Delicium tamen hoc, quoties succreuit in hortis,
Nouimus humanas excoluisse manus.
Camporum flores, spontanea munera terræ,
Pingit, & exornat dextera sola Dei.

Flos

Flos ego ſum campi, topiarius vnicus in me
Ipſe Deus, dignum Numine fecit opus.

XLII.

Et lilium conuallium.

QVò tua demittis pulcherrima lilia Virgo?
Tunè ſub extremis vallibus, ima tenes?
Anteit electos, poſt Chriſtum flos tuus omnes,
Montibus vt celſis floreat, ergo decet.
Mens tumidi de ſe corrupeat omnia ſenſus,
Primæuamq; omnes fecit habere notam.
Mens humilis, propterquam in Te Verbum Carofactū;
Non vallis tibi, ſed gratiæ abyſſus erat.

XLIII.

Sicut liliū inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Verſ. 2.

CAndida, quæ culpæ procul omni labe creaui,
Non reſponderunt lilia prima mihi.
Tranſiit in vepres flos illibatus, & omnis
Filia peccati, noxia ſpina fuit.
Peccatum potuit configere lilia ſpinis;
Plus pro Te Mater, gratia nonne poteſt?
Vt tua non pungant puriſsima lilia ſpinæ,
Flos inter ſpinas, in Cruce pungar ego.

XLIV.

Sicut malus inter ligna Syluarum, ita dilectus meus inter filios. Verſ. 3.

INſipidos fructus, lignis ſylueſtribus ehêu
Carpit homo! poſtquàm noxia poma tulit.
Hos inter fructus, hæc inter poma doloris,
Tu Ieſu, dulcis malus es vna mihi.

Ad malum vetitam, dextram quæ prima tetendit,
Inuenttrix primi criminis Eua fuit;
Ex Cruce, quæ malus fuerat tua dulcis Iesu,
Cûi licuit vitam carpere, prima fui.

XLV.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.

VLtio iusta Dei, peccatum quando secuta est,
Liber ab hoc iræ, nemo calore fuit.
Cùm plueret cælo, tantæ vis flammea pænæ,
Non me lethales corripuêre faces.
Æstibus à tantis, quæ me seruauerat vmbra,
Dilecti fuerat gratia summa Dei.
Hæc fuit vmbra mihi, sub qua tutissima sedi;
De me sumpta caro, nam fuit vmbra Dei.

XLVI.

Et fructus eius, dulcis gutturi meo.

NEctarei gustus, mala verè mala putauit,
Eua, venenatis heu malè pasta cibis!
Morsibus esca sapit; sed mors in gutture tandem
Hæsit, & infecit, felleus ora sapor.
Ante venenatos fructus, me prima cibauit,
O Iesu! meritis gratia parta tuis.
Fructus hic ostendit, mihi toto gutture dulcis,
Quàm fuerint animæ, pura alimenta meæ.

XLVII.

Vers. 4. *Introduxit me in cellam vinariam.*

FRuctibus æternis, postquàm tuus ô bone Iesu!
Præuisam Matrem, me satiauit amor;

Dulcia

Dulcia, poſt epulas, opus eſt vt vina ſequantur;
Nempè Redemptoris dulcia vina mei.
Sed dum me potas, vinaria cella bibenti,
Diuini patuit cordis aperta mihi.
Hîc ego in immenſo meritorum fonte, priuſquàm
Conciperer, iam ſum ſanguine lota tuo.

XLVIII.

Ordinauit in me Charitatem.

ORdo bonus, qualem rerum natura requirit,
Mandatis ſtatuit, quem Deus ipſe ſuis,
Hic eſt; qui natos benè velle Parentibus omnes
Exigit; hæc ſobolem vincula prima ligant.
Hoc mihi non tribuit, ſũmi Deus ordinis Author?
Aût potuit Matri non benè velle ſuæ?
Eximit à macula, caros bonus ordo Parentes,
Hoc Ieſu, mihi Te, quis voluiſſe neget?

XLIX.

Fulcite me floribus. *Verſ: 5.*

NOn ego marmoreis, vel fuſis ære columnis
Nitor, cùm mea ſit gratia tota baſis;
Deliciis quodſi Diuinis, ſpiritus in me
Diffluit, & nimius pectora languor habet;
Floribus ó ſatis eſt ſi fulciar! vnicus ille
Matris, & æternæ virginitatis honos,
A macula qui me potuit ſeruare parentum,
Flos hic, nonne mihi firma columna ſatis?

L.

Stipate me malis.

LEthales fructus, infaustaq; fercula nobis,
Cur petis ô Virgo, dum tuus ardet amor!
Corruimus malis, quibus hêu ſtipata Parentum
Mors cum peccato, toxica ſæua dedit.
Nil mihi cum malis peccati, conſcia non ſum
Arboris illius, quæ mala prima tulit.
Me malis ſtipate bonis. vbi ſunt bona mala?
In Cruce dilecti, ſunt bona mala mihi.

LI.

Quia amore langueo.

FLoribus ô Virgo iam te fulcimus amœnis,
Stipamus malis, quod petis ipſa bonis;
Nec tamen à languore, tui vis flammea cordis
Ceſſat, & immenſis æſtibus ecce cales.
Quo concepta fui momento, languor hic in me
Cœptus, inextincto flagrat amore Dei.
Dicite, peccati momentum, tantus eodem
In me momento, num toleraſſet amor?

LII.

Verſ. 6. *Læua eius ſub Capite meo.*

VT mortale genus, ſimul vno ſterneret ictu;
Humanum petiit, culpaq; morſq; caput.
Hoc capite euerſo, ſucceſsio tota malignam
Accepit ſeriem, totaq; labe ſcatet.
Humanæ quodſi caput eſt conceptio vitæ,
Soli conceſſa eſt, hæc ſine labe mihi.
Sub capite hoc vitæ, fuerat mihi maxima cuſtos,
Diuino cordi proxima, læua manus.

LIII.

LIII.

Et dextera illius amplexabitur me.

VIrtutem, Domini quàm dextera fecerit in me,
Non est, ingenio quod dubitante roges?
Virgineo partu, castam sine semine Matrem,
Me Natum in terris, fecit habere Deum.
Hoc opus est dextræ domini, cûi nulla secundum
Matris honore pari, dextera fecit opus.
Quidni igitur toto me complectatur amore?
In qua homini Deus est iunctus, homoq; Deô.

LIV.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosq́; camporum. Vers. 7.

DIlectæ Matris suauissima somnia curans,
Cum Tuus ô Iesu, solicitatur amor;
Adiurans Solymæ natas, cur poscit amicam,
Per Ceruos campi, per capreasq; fidem?
A me qui fugiunt, culpæ spatiisq; vagantur,
Cerui infelices sunt, capreæq; mihi.
Vt redeant ad me, mea zelantissima Mater,
Has sola assequitur, sola capitq; feras.

LV.

Ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam.

NEmo capit, quanta fruitur dulcedine somni
Mater, quando meo dormit amica sinu.
Dormit in immensæ Deitatis mersa profundo;
Illam velle quis hîc, euigilare putet?
Euigilent, vt pœniteant, quos longa voluntas
Peccandi, in somno perditionis habet;

Quæ

Quæ non peccauit, securè dormiat in me;
Sola, meo felix est in amore, quies.

LVI.

Quòadusq; ipsa velit.

O Amor! ô dulcis requies! ô gratia somni
Felicis! sine quo nulla beata quies.
Plena voluntatum consensio, præstat amoris
Quæ non soluuntur, dulcia vincla mei.
Omni momento mihi coniunctissima Mater,
A primo exortu; velle secuta meum est.
Me proin absq; modo, donec velit ipsa fruatur;
Nescit amando modum, tempora nescit amor.

LVII.

Vers. 8. *Vox dilecti mei.*

AVdiimus Virgo, dilectæ vocis amicos,
Cùm te dicebas exhilarasse sonos.
Quæ tamē hæc vox sit, quæ mystica gaudia signet,
Haud tuus id nobis, Virgo reuelat amor.
Quisquis obediuit peccato vocis iniquæ,
Dilecti vocem, non capit ille mei.
Ante Dei vocem, vox est mihi nulla locuta;
Hinc Verbum capio, quod Deus ipse capit.

LIII.

Ecce iste venit saliens in montibus.

QVis salit è cœlo? quem pernicissimus iste
In terras, tantis motibus vrget amor?
Dilectus meus est, saliens in montibus altis,
In mea de cœlo viscera, quando salit.

Monti-

Montibus in sanctis, mihi fundamenta locauit;
Gratiæ vt immensum, surgeret inde meæ,
Hîc vbi Sanctorum perfectio desinit; istis
De cœlo saliens montibus, ille venit.

LIX.

Transiliens colles.

LOngiùs à terra montes natura remouit,
Vertice spectarent, vt propiore polum.
Collibus est decliuis apex, vicinaq; spectans
Terrarum, distat longiùs axe poli.
Transiliit colles dilectus. nempè fuêre
Vicini terris, quos nota prima grauat.
Nil mea terrenæ debet conceptio culpæ;
Quid miraris, in hoc monte salire Deum?

LX.

Similis est dilectus meus Capreæ. *Vers. 9.*

MIlle amor in species quamuis, & mille figuras
Transeat, & redeat, mille habeatq; vices;
Illene iam capreæ similis? quid rupibus altis
Pendula, par illi? quid vaga turba gerit?
Dilectus capreæ similis. nam perdita quærens,
Ex vtero, in rupem prosilit ille crucis.
Invia si capreæ penetrant; quâ venit in orbem,
Hæc via, peccatis invia Mater eram.

LXI.

Hinnuloq; Ceruorum.

NOn ceruis similem, dilectum quæso putate;
Terrificis non est cornibus, ille minax.

Hinnulus est potiùs ceruorum, dulcibus aptus
Deliciis animæ, miteq; pectus habet.
Sed pernix refugit, peccati labe notatos;
Ne fugiat, de me Virgine, factus Homo est.
En peccatores, dùm pendet ab vbere nostro,
Difficilis non est, hinnulus iste capi.

LXII.

En iste stat post parietem nostrum.

INfelix culpæ paries, diuiserat inter
Humani generis progeniem, atq; Deum.
Exclusi sontes à maiestate, thronoq;;
Cuius in obsequio, non tenuêre fidem.
Sed paries felix, quem gratia condidit in me,
Verbi Diuini est, immaculata caro.
Post hanc, ô animæ! quando stat amabilis ipse,
Non procul à vestro, distat amore Deus.

LXIII.

Respiciens per fenestras.

A Facie Domini proiectum plasma rebelle,
Respicere offensi noluit ira Dei:
Conclusos tenuit grauis indignatio cælos,
Nulla fenestra spei, nulla salutis erat.
Corporis illibata mei crystallus, & intra
Translucens, animæ purus vbiq; nitor;
Hæ fuerant in me, geminæ sine labe fenestræ;
Per quas respexit, maximus ima Deus.

LXIV.

Prospiciens per cancellos.

Effrenes animos, humana licentia fecit,
Cùm fas illicitis, ruperat omne cibis.
Legis Diuinæ cancellis, viuere fractis
Dulce fuit; sed & hêu dulce perire fuit!
Immaculati vteri, pro transgressoribus in me,
Cancellos subiit, vinctus amore Deus.
Ecce vt condoleas, vt ames, vt nôris amantem;
Cancellis vinctus, prospicit ille meis.

LXV.

En dilectus meus loquitur mihi; surge, propera, amica mea. Vers. 10.

SVrgere me dilecte iubes. nimis anxius iste,
Qui pro me vigilat, quid sibi poscit amor?
Hoc agit, vt surgas; præter te, surgere quo nil
Puriùs in mundo, gratia nostra iubet.
Gens inimica mihi, peccati lapsa reatu
Concidet, instabili lubrica facta gradu:
Hoc mea præueniens, tibi dicit gratia, Surge;
Vt sis æternùm, Mater amica mihi.

LXVI.

Columba mea.

SImplicitas cordis, candor purissimus in Te,
Pulchra columbinæ, Symbola mentis habet.
Innocui candoris ebur violauerat Eua;
Quodq; meum fuerat cor, dedit illa Stygi;
Hinc imis hæsêre fibris, mala toxica fellis;
In culpa, Stygij fellis amaror erat.
Tu sine peccato, fieres vt pura columba;
Conceptus volui, felle carere tuos.

LXVII.

Formosa mea.

SÆpè meam laudas, Iesu pucherrime formam;
Ista venustatis gratia, tota tua est.
Quod feci laudo, decus hoc insigne, quod in Te
Authoris loquitur maxima dona sui.
Corporis, atq; animæ Tibi dos pulcherima tanta est;
Omni pulchram adeò te sine labe dedi;
Vt si te solam, mea Virgo dextra creasset;
Vnum pro cunctis, hoc satis esset opus.

LXVIII.

Et veni.

DVlciter inuitans, quod te dilecta venire
Mater, & in mundum quod properare velim;
Humani generis saluandi maximus ardor
Hoc facit, immensas subdidit ille faces.
Quàm sitio tecum, quàm mecum poscis, & ardes,
Si vis, vt propior fiat in Orbe salus;
Conceptu sine labe tuo, te propter in Orbem,
Vt properem, properes; vt veniamq; veni.

LXIX.

Vers. 11. *Iam enim hyems transiit.*

IVstè ego peccatis irato corde, recessi
A facie populi, quem grauis ira premit.
Diriguit nostro, genus hêu mortale recessu!
Æternumq; tenet, saxea corda gelu.
Rursus vt accedam propter Te, sola mereris;
Conuertisq; meos, rursus in Orbe gradus.

Sol

Sol ego iuſtitiæ, quo tu concepta fuiſti
Momento, redii; tranſiiit omnis hyems.

LXX.

Imber abiit, & receßit.

QVi ſuper extorres, maieſtatiſq; reatu
Damnatos cecidit, flammeus imber erat.
Carbones, ſæuaſq; faces, miſsilibus altis
Depluerat cælo, vindicis ira Dei!
Hos ego propter te nimbos, hæc tela furoris
Virgo ſtiti, cùm te gratia noſtra creat.
Tempeſtas abiit peccati, imberq; receſsit;
Vt niteas, ortu tota ſerena tuo.

LXXI.

Flores apparuerunt in terra noſtra. Verſ. 12.

IN peccatorum ſterili damnata labore,
Horruit in pænam, ſpinea tota ſeges.
In terra noſtra, pulcherrima germina florum,
Fundit odorati gratia veris opes.
Delicijs electa meis puriſsima Virgo,
Tu fueras florum terra beata mihi.
Flores ſunt in Te, Conceptio mira, Deiq;
Matris honos; quales ſæcula nulla dabunt.

LXXII.

Tempus putationis aduenit.

DEnſus inutilibus plantis, ſuccreuerat Orbis;
Noxia nam citiùs, quàm bona planta viret.
Vndiq; carnales animæ, impuriq; ſtolones;
Electis potuit, vix locus eſſe meis.

Tempus

Tempus adeſt plantis, diſtricta lege putandis;
Sors in Te Virgo, non tamen iſta cadet.
Momentum culpæ nullum tibi. praua pu an di,
Quod putet, in Te nil Virgine, tempus habet.

LXXIII.

Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

TVrtur es ô Virgo! Diuini turtur amoris,
Vnica, præ cunctis turtur amica mihi.
Voce tua delector ego, ſed voce ſuáui;
Quæ me de cælis, traxit in ima Deum.
Turturis eſt gemere, & querulas cōponere vo es;
Vox tua, vox dulcis; quid tibi cum gemitu?
Non pro Te gemis, ô nullius conſcia culpæ!
Pro peccatorum, Virgo ſalute gemis.

LXXIV.

Verſ. 13. *Ficus protulit groſſos ſuos.*

ARbore, quâ mortem ſuperaui, tartara vici,
Germina quæ dulci plena ſapore tuli,
Sanguineæ fuerant plagæ, ſæuiq; dolores,
Claui cum ſpinis, lancea, morſq; Crucis.
Hæc ego, ceû ſapidi ducebam germina guſtûs;
In dulcem ficum, Crux mihi verſa fuit.
Arboris illius, ſpeciali ſorte redempta,
Maximus ô Mater! Tu mihi fructus eras.

LXXV.

Vineæ florentes, dederunt odorem ſuum.

QVæ dulcedo Tibi, quæ ſit fragrantia Virgo,
Muſtifluis quàm ſis, vinea plena botris.

Solus

Solus ego, qui Te ſuper ômnia plaſmata feci,
Delicijs pretium ponere noſco tuis.
Vinea non vna es. florentes vineæ, in vnam
Te commigrârunt, quotquot vbiq; virent.
Quot ſuperas Sanctos, tot Sanctos ſpirat odores,
Gratia conceptûs immaculata tui.

LXXVI.

Surge, amica mea.

EXcito Te, totieſq; voco. nec ſufficit vna
Voce Tibi, Mater dicere ſurge mea.
Plenus amor curæ, quod diligit, hoc procul omni
Præcuſtoditum, vellet habere malo.
Excubiis ſeruata meis, ô Mater amica
Sic fueras, pro Te dum meus inſtat amor;
Surge creatarum dixit puriſsima rerum,
Præ cunctis de Te, maxima cura mihi.

LXXVII.

Specioſa mea.

NVlla mihi ſpecies, nullus decôr altiùs hæſit,
Quàm Tuus ô Mater! quæ ſpecioſa mea es.
Nil mihi te propiùs; poſt me, quæ ſola tuliſti
Celſius humana conditione decus.
Diuinis ſpecies oculis, ſi proxima ſtabis?
Æternùm dextræ, conſociata meæ;
Omnibus electis, quidni ſpecioſior in Te
Gratia ſit? de qua ſum ſpecioſus ego.

LXXIII.

Et veni.

Vocem

VOcem quando meã, primi timuêre Parentes,
Conſcia mens culpæ, cauſa timoris erat.
Qui peccat, metuit; lucem fugit, appetit vmbras;
Et mea, cêu mortis fulmina, verba putat.
Auribus innocuis, mea ſed quàm mellea vox eſt!
O Mater, noſtrum quàm tibi dulce Veni!
Conſcia peccati non es. tibi vox mea dulcis,
Cauſa eſt lætitiæ maxima, nulla metûs.

LXXIX.

Verſ: 14. *Columba mea in foraminibus petræ.*

QVis te miretur, niueam ſine felle columbam?
Omni quod penitus labe, notaq; vaces.
Arcano ſeruata mea es; munimina pro te,
Dum meus in petra, nidificauit amor.
Petra ego ſum Chriſtus. dilecta foramina petræ
Vulnera ſunt, primùm quæ patuêre tibi.
His in vulneribus, tu cuſtodita fuiſti;
Quid mirùm? quod ſis pura columba mea.

LXXX.

In cauerna maceriæ.

VNgue rapax, ſtygiiſq; minax terroribus ales,
Imminet hêu lapſis! præcipiteſq; ſuæ
Deſtinat hêu prædæ! timidas vrgetq; columbas;
Iuſſa recuſantes dum mea, iure timent.
Vnguibus his, vt te ſubducam, cor tibi pando;
Huc à peccato, pura columba fuge.
Maceriem lateris, propter te lancea rupit;
Plaga mei cordis, tuta cauerna tibi.

LXXXI.

LXXXI.

Oſtende mihi faciem tuam,

DIuinæ faciem corrupit imaginis in ſe,
Plaſma Creatoris nobile, primus homo.
Deformi ceſsit maculæ, primæua venuſtas,
Mutauit faciem culpa, decuſq; tulit.
Ergò mei penitùs veſtigia nulla decoris?
Quis mihi det vultus, cernere Virgo tuos!
Fac oſtende mihi faciem; tu ſola mereris;
Vt faciem ſerues immaculata meam.

LXXXII.

Sonet vox tua, in auribus meis:

AVdio de cælis vocem, noſcoq; rebellem;
Primum contra me, vox ea murmur habet.
Tollitur obſequium; ſonat ingratiſsima culpæ
Raucedo, & mecum neſcia lingua loqui.
Nempè Stygi loquitur. ſed tu puriſsima ſaltem
Virgo mihi loquere, & vox tua grata ſonet.
Vt mecum pleno conſenſu, cor geris vnum;
Sic tua vox, voci conſonat vna meæ.

LXXXIII.

Vox enim tua dulcis,

VOcis mira tuæ fecit dulcedo Ioannem,
Nulli conceſsis, exiliiſſe modis.
Arcano Matris concluſus viſcere plaudit,
Infans ore loqui neſcit, amore ſalit.
Rumpere me cælos, ex quo concepta fuiſti,
Voce tuâ victum, nonne neceſſe fuit?

Exſilij, in terraſq; veni, mortemq; ſubiui;
Vox tua me dulcis, fecit amara pati.

LXXXIV.

Et facies tua decora.

ESther vt Aſsuerum roſeo pulcherrima vultu,
Cordis ad affectum flexit amore ſui;
Principe digna thoro, faſtigia ſumma petiuit;
Imperat & ſummis, forma decora thronis.
Tu mihi ab æterno placuiſti, Regia Virgo,
In te Rex Regum, cordis amore feror.
Si te deperii pulchram, tuus ipſe Creator;
Quæ facies animæ, quamq; decora tibi?

LXXXV.

Capite nobis vulpes paruulas. *Verſ. 15*

CVm vulpes foueas habeant, tacitoſq; receſſus,
In cordis latebra, mille hominumq; dolis;
Reclinare caput mihi non licet. vndiq; cordis
Impietas, & fraus eſt inimica mihi.
Labes prima hominū, fuit ô quam paruula vulpes!
Sed vaſti foueam, condidit illa mali.
Vulpinam culpæ foueam, cor neſcijt in Te;
Hîc ego Virgo, meum dulce reclino caput.

LXXXVI.

Quæ demoliuntur vineas.

VItibus electis animæ, botriſq; nocentes;
Aſtutas vulpes vt capiamus, ais.
Noxia quis capiat, vapidis animalia technis?
Mille vias, quibus hæc noxa ſubintret, habet.

Ecce ego peccati vulpem, dum paruula ſerpit,
Cùm demoliri nititur omne bonum;
Præueniens artes Stygias, in origine cepi;
Vt Mater fieret, vinea ſalua mihi.

LXXXVII.

Nam vinea noſtra floruit.

QVam Pater æternus plantauit; quam meus alta
In Crnce, ſanguineo fonte rigauit amor;
Afflauit ſacrum, quam dulci flamine Pneuma,
Innumeris florens vinea delicijs,
Quod fueris Virgo, Diuino florida partu,
Flos tuus, æternâ virginitate probat.
Flos animæ purus, flos corporis integer in Te;
Quàm verè dici, vinea noſtra potes?

LXXXVIII.

Dilectus meus mihi, & ego illi; *Verſ. 16.*

VErus amor redamat, donis certatq; viciſsim,
Officiiq; pares ſunt in amore vices.
Cor ſi dilectus, caræ donauit amicæ;
Cor quoq; dilecto, donat amica ſuo.
Officiis mecum certans dilectus amicis,
Mutua qui dederat, mutua dona tulit.
Ille mihi dotes animæ dedit immaculatæ,
Reddita per me illi eſt, immaculata Caro.

LXXXIX.

Qui paſcitur inter lilia.

AGnus eras IESV, pro mundi quando ſalute,
Optabas fieri, victima grata DEO.

Fecerat hoc immensus amor, qui pascua pro te,
In Patris æterni fecerat esse sinu.
Præuisæ Matris sinus alter, dulcia pro Te,
Liligeris fecit pascua plena cibis.
Hoc vtroq; sinu dum pascebaris, vtrinq;
Agnus carpebas, lilia pura DEVS.

XC.

Vers. 17. *Donec aspiret dies,*

NOctis opaca subit, qui culpæ diligit vmbras;
Peccator, veræ lucis amore caret.
Grata DEO pietas, ad lucem cordis anhelat;
Et gemit, aspiret donec amica dies.
Quid mihi cùm tenebris? veræ sum filia lucis;
Vmbraq; in exortu, non erat vlla meo.
Vt parerem mundo, verum de Lumine Lumen;
Gratia me plenam, fecerat esse diem.

XCI.

et inclinentur vmbræ.

SI tenebræ fuerant, faciem super Orbis abyssi,
Lux solis necdum quando creata fuit;
Aurea sed postquam stellato lampas Olympo
Fulserat, è tenebris fulsit amica dies.
Vt tenebris finem cælestis gratia ponat,
Me verè Matrem luminis esse iubet.
Inclinat cælos DEVS, inclinentur & vmbræ;
Non habet in partu luminis, vmbra locum.

XCII.

Reuertere.

Quę

Quò fugis ô dilecte meus, quò totus in auras
Laberis! ô celeres, mi bone, siste gradus!
Si fugis à facie peccati? quod tibi summo
Esse odio noui, quod tuus horret amor;
O amor! ô immensa boni dulcedo! quid instas
Vt fugias? non sunt ferrea corda tibi.
Si fugis à macula? dilecte reuertere. nonne
Fecisti Matrem, me sine labe tuam?

XCIII.

Similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloq́; ceruorum.

NVper ego dixi, dilecte reuertere IESV;
Vt redeasq́;, meos en tibi pando sinus.
Nunc capreæ similem, ceruisq́; fugacibus opto;
Quos scio, præcipites sistere nolle gradus.
O amor! vt fugias nolo; sed vt ocyùs adsis,
Immaculata tibi viscera pando mea.
Sis capreæ similis, sis hinnulus ô bone IESV!
Ad me, pro mundi quando salute venis.

XCIV.

Super montes Bether.

HInnulus ex alto saliens, vt culmina Bether
Summa petas IESV, te mea vota rogant;
Sed forsan renuis? quid enim diuisio tecum
Bether habet? cùm sis totus, & vnus amor.
Non tamen hos montes fugias. si noxa Parentum,
Diuisam tecum rupit amicitiam;
Nil mihi cùm noxa, ruet hæc diuisio per Te;
In me, quando hominum, tu Mediator eris.

DIES TERTIA.

Ex Capite Canticorum 3.

XCV.

Verſ. 1. *In Lectulo meo per noctes,*

ANxia res amor eſt, votis torquetur amicis;
 Dilectum quærit, nocte dieq; ſuum.
Sed tibi quæ noctes? immenſæ lucis abyſſo;
 Fulſerit ô Virgo, cùm tibi plena dies.
Nox peccatorum procul à me. ſed mea dulcis,
 Diuino fuerat nox, in amore quies.
His in deliciis, in quo ſecura quieui,
 Cor IESV, dulcis lectulus ille meus.

XCVI.

quæſiui, quem diligit anima mea:

IN thalamo cordis IESV ſecura quieſcens
 Quid quæris, quod habes? anxia quidue petis?
Quo concepta fui momento, quærere cæpit
 Quem mea dilexit, mens ſine labe DEVM.
Quæſiui, tenuiq; ſimul; ſatiataq; nunquam
 Quem teneo, ſitio; quæro, fruorq; ſimul.
Et fruar, & quæram. DEVS eſt immenſa voluptas;
 Ex illo non eſt, qui ſatietur amor.

XCVII.

quæſiui illum, & non inueni.

SI tibi dilectum quærenti, tantus amoris
 Æſtus? cura animo, ſi tibi tanta calet?
Cur tibi ſe Matri dulcis negat? & latet? & te
 Non inuentus amor, Virgo dolere ſinit?

Ille

Ille mei securus agit. data quippe salutis
Est sine peccato, gratia tuta mihi.
Sed peccatorum, tot millia perdita quærens,
Dilectæ voluit Matris abesse sinu.

XCVIII.

Surgam, *Vers 2.*

LOngiùs hâud patiar, te mî dilecte morari;
Quis desiderii tædia mille ferat?
Quos perijsse doles, si tanto quæris amore?
Grande Redemptoris si tibi feruet opus?
Ad tua mi IESV dilecta negotia surgam;
Subuenisse reis, me sine labe decet.
Indiuisus amor tecum mihi; sit quoq; tecum
Indiuisa hominum vita, salusq; mihi.

XCIX.

et circumibo ciuitatem:

CIues Sanctorum, Solymæ gens alma beatæ,
Sêu vos æternæ visio pacis habet;
Sêu mortalis adhuc luctantes vita moratur,
Dum mihi quærenti, mænia vestra patent;
Omnia peccati video concussa ruinis;
Me solam munit, non temerata salus.
In me quod reparet, non est. sed mænibus istis
Culpa quod euertit, gratia saluet opus.

C.

per uicos, & plateas, quæram, quē diligit anima mea.

IN conclaue suum, me Rex deduxit amicam;
Hîc est secretum cordis, & alta quies.

Affluo

Affluo deliciis.] ſed amantem ſæpè requi ro;
Me ſolam meus hîc, ſæpe relinquit amor.
Quid faciam? curram per vicos, perq; plateas;
Secretum linquens immaculata meum.
Omnibus errantes dum colligit ille plateis,
Dilectum produnt, ſigna cruenta meum.

CI.

quæſiui illum, & non inueni.

OBſeruata tui veſtigia Mater amoris,
Et tanto Chriſti ſanguine planta madens,
Conceſsêre tuo, necdum ſolatia cordi,
Dilecto felix, vt potiare tuo.
Vt potiar, quæro. ſed quamuis neſcia culpæ,
Dilecto cogor ſæpè carere meo.
O peccatores! per vos veſtigia tanti
Sanguinis, ô quoties hêu periêre mihi!

CII.

Verſ. 3: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem.*

CIrcuitu vario quærens, quem diligo IESVM,
Cùm deſideriis æſtuo tota meis;
Vrbis in æternæ cuſtodes incido, quorum
Vrbs illa innumeris cingitur excubiis.
Hîc etiam dilectus abeſt. res mira, ſuperni
Spiritus, an poterant diſplicuiſſe DEO?
Scilicet Angelicæ cuſtodia cælica mentes,
Omni, quâ careo, non caruêre notâ.

CIII.

Nunquid quem diligit anima mea, vidiſtis?

Diuini

DIuini vigiles, quibus eſt concredita ſummi,
Maieſtas ſolii, tamq; tremendus apex;
Stantibus ante thronum, quidni quẽ diligo, vobis
Dilectum liceat cernere poſſe meum?
Velatos Seraphim ſed dum conſidero vultus;
Num vidiſtis eum, iam dubitare licet;
Pura mihi facies, tegitur velamine nullo;
Cerno reuelatum, ſic ego ſola Deum.

CIV.

Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quẽ diligit anima mea. Verſ. 4.

ARmatura DEI, niueæ quas cerno phalanges,
Nil mihi reſpondent, caſſaq; vota ſinunt.
Poſt modicum tandem, cùm pertranſiſſe ſupernas
Excubias licuit, iam mihi ſponſus adeſt.
Angelicos ſine labe choros, cùm tranſeo Mater,
Cordis in amplexus, vt ruat ipſe mei,
Dulcis amor Ieſus, ne me differret amantem;
Hoc modicum quamuis, noluit ille pati.

CV.

Tenui eum, nec dimittam.

MIlle vices, & mille vias ingreſſa, beatis
Iam potior votis; iam graue ceſſat iter.
Hæret in amplexu noſtro dulciſsimus ille,
Quem tot quæſiui motibus, hæret amor.
Hunc etiam primi quondam tenuêre Parentes;
Dimiſſum culpâ ſed doluêre ſuâ:
At mea quem tenuêre ſemel, ſine labe pudoris,
Nunquam dimittent, viſcera pura Deum.

CVI.

Donec introducam illum, in domum Matris meæ,

INueni Iesum, teneo, castisq; medullis
Stringo, fruor summi deliciisq; boni.
Gaudia mille fero, solatia sentio mille;
Illa meæ Matris sint quoq; nota domi.
Sed mea quæ Mater? Diuini gratia cordis;
Quæ primam sobolem me, sine labe dedit.
Non te dimittam mi Iesu; donec in eius,
Mortales habeant, gaudia plena domo.

CVII.

& incubiculum genitricis meæ.

NEcdum plena mihi tecum sunt gaudia Iesu,
Præ cunctis quamuis te fruar absq; modo.
Matris in æde meæ, quod sis mihi non satis istud;
Sed placet in votis, altiùs ire meis.
Immaculatus amor, qui me sine labe creauit,
In conclaue suum, me penetrare iubet.
Ducam te Iesu, genitrix vbi gratia fecit;
Soli concessum dulce cubile mihi.

CVIII.

Vers. 5. Adiuro vos filiæ Hierusalem, per capreas, ceruosq; Camporum,

VIrgineæ mentes, Solymæi portio floris
Maxima, dilectæ Matris amica cohors,
Vos ego per capreas, camporum perq; fugaces
Adiuro Ceruos, quod mihi dictat amor.
Scilicet vt ceruos agiles, vis flammea cordis,
Ad fontem, stimulat currere, dulcis aquæ;

Sic

Sic mea sola fuit, fontem dulcedinis in me;
Mater inexhaustum, quæ sine labe bibit.

CIX.

ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

AVditis dulces animæ, custodia Matris
Illibata meæ, verba quid ista velint?
In me demersam, grati dulcedine somni,
Matrem fas non est, euigilare meam.
Dormiat in thalamo cordis, Sponsoq; fruatur,
Ipsa frui tanto, donec amore velit.
Velle meum, donec volui, sine labe secuta est;
Velle sit illius, donec & ipsa velit.

CX.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, Vers. 6.

MIrari liceat, quid sit, quod tanta decoris
Gratia, desertis prodeat orta locis?
Ascendit Virgo, sed per deserta. quid istud?
Rupibus, & syluis num decor iste latet?
Deserto similis tellus, ex crimine facta est,
Mortales postquam deseruere Deum.
Terra Deo Matrem, quæ protulit immaculatam;
Non hæc desertum, sed paradysus erat.

CXI.

sicut virgula fumi.

VNde tibi Virgo, cùm per deserta feraris,
Suaueolens dulci nectare fumat odor?
Nullus odoratis inter deserta ferarum
Deliciis locus est, horrida cuncta rigent.

Ieſſeæ radicis ego ſum virgula; ſed me
Labes peccati fœtida nulla grauat.
Virgula ſum dilecta Deo; Cœleſtibus ergo
Plenum deliciis, eſt thymiama meum.

CXII.

ex aromatibus Myrrhæ, & thuris,

VIrgo Parenſq́;, tuus cur dulcia miſcet amaris,
Qui Myrrham redolet, thuraq́; ſpirat odor?
Auſterum eſt, quod myrrha ſapit; fragrantia thuris
Nectar odoratum, puraq́; mella ſapit.
Ex vtroq́; mihi fragrantia dulcis; vtrinq́;
Quod ſine peccato gratia ſpiret, habet.
Myrrha Redemptoris, me præſeruauit amara;
Integritas animæ, thus mihi dulce fuit.

CXIII.

& vniuerſi pulueris pigmentarij:

OMnia Virgineum ſpiramen aromata claudit,
Cinnama quod redolēt, balſama quidquid habēt.
Ambroſiæ dulces Arabum, nectarq; Sabæum,
Hîc raras, grati flaminis halat opes.
Hîc experta ſuas, cæleſtis gratia vires,
Flaminis æterni condidit omne penu.
Iure hîc, puluis habet vim pigmentarius omnem;
Nullus enim culpæ, in Virgine puluis erat.

CXIV.

Verſ. 7. *En lectulũ Salomonis, ſexaginta fortes ambiũt;*

LEctulus eſt pacis thalamus. qui regnat, & ipſe
Pacifici Rex eſt nominis, atq́; throni.

Excu-

Excubiis tantis quid opus? suauissimus iste
Lectulus, arcano tutus amore satis.
Tu meus es Salomon Iesu, tu Rex mihi pacis;
Dulcis ego merui, lectulus esse tibi.
Gratia si tantis, tua me custodibus ambit?
Ad me hostem Stygium, quis penetrasse putet?

CXV.

ex fortißimis Israel.

QVod meus armatis custodibus vndiq; cinctus,
Lectulus excubias immaculatus habet;
Me contra culpam, quæ præmuniuerat omnem,
Peruigil hoc fecit cura, manusq; Dei.
Hæc vt me à macula primo defendit in ortu;
Zelo nunc etiam sic vigilare pio,
Custodes inter fortissima pectora lectos,
Pro defendendo iussit honore meo.

CXVI.

Omnes tenentes gladios, Vers. 8.

QVi me propugnant, districtis ensibus omnes,
Obsequij præsto vindicis arma gerunt.
Non obtusa acie, pro me stat nobile ferrum,
Exacuitq; ictus vsibus assiduis.
Felices dextræ, quarum splendescit ab vsu,
Gloria Conceptûs immaculata mei.
Tot gladios vibrant, calamis quot fortia scribunt;
Certamen nullum sanctius, Orbis habet.

CXVII.

& ad bella doctißimi,

Pacis

PAcis Mater ego; sed pro me bella geruntu
Hæc tamen effuso bella cruore carent.
Zelus, amor, pietas, doctissima prælia pro me
Passim ineunt, passim dulce triumphat opus.
Crescit amor belli, crescit sapientia; nec iam
Cordatis superest vis superanda viris.
In bellis doctrina meis, hæc maxima, vinci;
Qui Matrem credit me sine labe, sapit.

CXVIII.

vniuscuiusq; ensis super femur suum.

NVnc gladios pro te vibratos, doctaq; passim
Prælia dicebat, quæ tuus armat amor;
Condita sed rursum, pro te nunc arma fateris,
Et quoduis enses femur habere suos.
Accinctas acies habeo. sed prælia cessant;
Ortûs vincit enim, gratia pura mei.
Si quis bella velit? pro me zelabit in armis,
Cælitus armato, mascula penna Stylo.

CXIX.

propter timores nocturnos.

SI timor est noctis, suspecta pericula vitæ,
Qui tenebris augens, lubrica cuncta facit;
Nocturnos in me, non est, mens pura timores
Cur metuat? Deus est Lux mea, quem genui.
Progeniem lucis securam gratia fecit;
Nox animæ culpa est, solaq; iure timet.
Noctem peccati minimam, non cogitet in me;
Quisquis me, Matrem cogitat esse Dei.

CXX. Verſ. 9.

Ferculum ſibi fecit Rex Salomon, de lignis Libani.

MAieſtatis opus, dum Regum maximus in me
Conderet, auguſti nobile pegma throni;
Surgeret vt tantæ moles pulcherrima ſedis;
Tota laborauit gratia, totus amor.
Ferculum id, æternum Salomonem viſcere caſto
Quod circumtulerat, pura Virago fui.
Nempè quibus ſteteram Libani condita lignis;
Candor in his lignis, immaculatus erat.

CXXI.

Columnas eius fecit argenteas, Verſ. 10.

DIgna Deo ſedes, pretioſo ſtructa metallo
Vt fierem, iuſsit maximus orbis apex.
Argento ductæ ſteterant ex arte columnæ;
Vt ſolidas premeret machina firma baſes.
Quis putet, hanc molem tantis nutaſſe columnis?
In quas tot fudit, pura metalla Deus.
Quàm color argento niueus, quàm pura nitoris
Gratia; tam meus eſt immaculatus honos.

CXXII.

reclinatorium aureum,

SVmptibus auguſtis Salomon, dum maxima fecit
Tot curis opera, vt Regia Sceptra decet;
Obryzi moles, & vis immenſa metalli,
Huc pretio, atq; graui pondere verſa fuit.
Immortale ſui reclinatorium amoris,
In me Diuina conſtituente manu;

Annon Cælestis, purissima dona metalli,
Immensò tulit huc, aurifodinâ penu?

CXXIII.

ascensum purpureum,

AD sublime throni regalis, purpura celsos
Sidonio vestit murice tincta, gradus;
Cladibus immensis populorum, sæpè cruenta,
Diluuio magni sanguinis illa rubet.
Ille cruor dulcis, fuerat sacra purpura Christi.
Ascensus voluit, quâ rubuisse suos.
Qui præseruauit, merito me sanguinis huius,
Purpureos ad me, fecerat ille gradus.

CXXIV.

Media charitate constrauit, propter filias Ierusalem.

FErculum ab æterno, Deus immortalis habere
In me quod voluit, quo decus omne nitet.
Purpura si vestit, riguo si fulgurat auro;
Illud cur medius, nonnisi strauit amor?
Totus amor Deus est. mediatrix Mater amoris
Facta ego sum, propter te Solymæa cohors.
O animæ! ad Diuina throni fastigia, vobis
Ascensus facilis, me mediante patet.

CXXV.

Vers. 11. *Egredimini,*

VOs ego felices animæ, vos pectora castu
Conuenio; dulci vos in amore voco.
Iam liceat vobis, arcana relinquere vestra;
Prodiit arcano, cùm Deus ipse suo.

Digna

Digna oculis animæ, hæc eſt contemplatio veſtræ,
Quomodò vos quærens, venit ad ima Deus.
A ſummo cælo fuit hæc egreſsio, per quam
Porta Deo in terris, immaculata fui.

CXXVI.

& videte filiæ Sion, Regem Salomonem,

ATtonitis Regina oculis Saba, viderat olim,
Hâud viſum terris in Salomone decus.
Mortales oculos, ſed maieſtatis abyſſus
Opprimit immenſæ; viſio, ſola ſtupor.
O natæ Sion! voluit quàm dulciter ipſe,
Rex Salomon vobis, conſuluiſſe Deus.
Non poterat Diuina in maieſtate videri;
Humanam ſpeciem, quâ videatur, habet.

CXXVII.

in diademate,

HVc oculos animæ, totoſq; aduertite cordis
Obtutus, quò vos Regius vrget honos.
Ad maieſtatis trabeas, faſceſq; ſupremos,
Acceſsiſſe Deo nunc diadema nouum
Quis credat? Regale tamen decus hoc tulit ex me,
Sacrum quod cingunt, ſpinea ſerta caput.
Gratia quanta mihi, quàm diues gaza bonorum!
Ex me, tantus apex ſi diadema tulit.

CXXVIII.

quo coronauit illum Mater ſua.

QVando coronauit Verbum Pater, ante creata
Omnia quod genuit, par Deitate ſibi;

Indiuiſa Trias, tanti ſolenne triumphi,
Sola celebrauit, ſolaq; vidit opus.
Cõmunem ſed ego mihi, Summo cum Patre Natũ,
Quando coronaui, Virgine carne Deum;
Orbis amor plauſit. nimirùm ſanguine parta,
Carior, ô Ieſu! noſtra corona tibi.

CXXIX.

in die deſponſationis illius.

QVæ fuit illa dies? æterni fœderis arrha;
Quâ deſponſatum vicit amore Deum.
Illa dies auguſta fuit, quâ ſumere carnem,
Atq; homini voluit ſe ſociare Deus.
Naturas geminas, perſona iunxit in vna,
Ex me Matre Deus, Virgine factus Homo.
Hæc vteto concluſa meo Sponſalia. quidni
Immaculatus eis, debuit eſſe locus?

CXXX.

& in die lætitiæ cordis eius.

ÆTerno de fonte Dei, per ſæcula manans,
Lætitiâ potuit, num caruiſſe dies?
Et tamen vna dies præ cunctis dicitur; in qua
Lætum præcipuè cor Deitatis erat.
Quâ Deus; immenſi ſerie decreuit amoris,
Mortali naſci corpore, poſſe pati;
Me puram Matrem, cernens in corde paterno;
Hanc voluit læti cordis habere diem.



Dies

DIES QVARTA
Ex Capite Canticorum 4.

CXXXI.

Quā pulchra es amica mea, quàm pulchra es? *Verſ. 1.*

QVæritur, vt foueat Dauid, pulcherrima Virgo;
Regalis conſors, ſed ſine labe thori.
Ex tot ab æterno rebus quæſita creatis,
Tu ne mihi Mater, conſcia labis eris?
Quò magè contemplor, formæ tua dona ſtupendæ;
Hoc magis, id de te iam geminare licet;
Quàm pulchra es, ſine labe tuo dum ſurgis in ortu!
Quàm pulchra es, genito me ſine labe Deo!

CXXXII.

Oculi tui columbarum,

PVrus amor meus eſt, & puri cordis amator;
Me ſolùm viſu reſpicit ille ſuo.
Candidùs, & ſimplex oculus, qui vincit amantem;
Eſt radius cordis, quod ſine labe nitet.
Cernitur hic in te radius puriſsima Virgo,
Pura columbarum lumina quando geris.
Quem ſpirant oculi, ſi cor quoq; ſpirat amorem;
Me ſolum ſpiras, pura columba Deum.

CXXXIV.

abſq; eo, quod intrinſecus latet.

SVnt latebræ cordis, ſed quas deteſtor, & odi;
In quibus, hêu quoties viſq;, doluſq; latet.

Sunt latebræ cordis, sed quas complector, amoq;,
In quibus arcanum, nonnisi seruo meum.
Exteriùs quàm sis, niueis par Virgo columbis;
Hoc vtcunq; aliis, cernere posse datum est;
Quàm puros figas oculos intrinsecùs in me;
Hæc res, arcano tota relicta meo.

CXXXIV.

Capilli tui sicut greges caprarum,

AGni Diuini Mater purissima cùm sis,
Nonne ouium similem, te decet esse gregi?
Quid commune tuus, pulchros sinuatus in orbes,
Cum grege caprarum, Virgo capillus habet?
Grex peccatorum, caprarum turba rebellis,
Hæc cùm sit capitis maxima cura mei;
Me toties ornat, quoties ad ouile salutis,
Conuersæ redeunt, quas ego duco capræ.

CXXXV.

quæ ascenderunt de monte Galaad:

ORnamenta tui capitis, quæ maxima censes,
Agmina caprarum conciliata Deo,
De Galaad veniunt; hoc de te mysticus iste
Sensus habet. quod sis immaculata licet;
Abiectos curare greges, & reddere Christo;
Hoc verè dignum, Matris amore putas.
Quàm montis Galaad felix abiectio! de qua
Ad Superos per Te, scandere Virgo licet.

CXXXVI.

Vers 2. *Dentes tui, sicut greges tonsarum.*

Gratia

GRatia quæ pauit, quæ te nutriuit, ab omni
Sæculo, & Angelico viuere pane dedit;
Illa cibos præbens, etiam candoris eburni,
Virgineis iuſsit dentibus eſſe decus.
Tonſarum gregibus ſimiles dentes tibi. nempè
Tonſarum niuei ſunt ſine labe greges.
Si niuei dentes, ſi pura cibaria; tali
Paſci debebas immaculata cibo.

CXXXVII.

quæ aſcenderunt de lauacro,

TOnſarum placuêre Deo, quos lachryma cordis,
Irriguo iuſsit fonte, dolere greges.
Omnes peccati grauat, vt fatalis origo;
Sic omnes, iuſti fonte doloris egent;
Aſcendunt animæ, lachrymarum flumine lotæ;
Lotas nimirùm poſcit ouile Dei.
Hoc tibi non opus eſt, Virgo benedicta lauacró;
Nunquam quippe tibi, pœnituiſſe datum.

CXXXVIII.

omnes gemellis fœtibus,

QVæ poſt peccatum, pariunt ſua germina Matres,
Fecundæ geminis fœtibus eſſe ſolênt.
Culpa trahit pœnam, partu ſequiturq; gemello
Vna aliam proles, germen vtrinq; malum.
Matribus hos iræ, fœtus genuiſſe gemellos,
Hêu infelici conditione licet.
Non mihi, nec culpæ, nec pœnæ germen habenti;
Cûi ſimilem nullam, gratia progenuit.

CXXXIX.

& sterilis non est inter eas.

DVm lachrymis lotæ, redeunt ad ouilia Christi,
Fœturæ germen spiritualis habent,
Felices animæ. steriles vbi gratia regnat,
Et vacuos operum non decet esse animos.
Gratia si sterilis non est, vbi cordis ab imo
Deleuit maculas, lachryma salsa cadens;
Labe carens omni, quantò fœcundior in me,
Debebat natum progenuisse Deum!

CXXXX.

Vers. 3. *sicut vitta coccinea, labia tua.*

FLoridus est sanguis, labiis vbi vitta pudicis,
Plena verecundo murice, tota rubet.
Hac amor inuitat, dulcissima basia poscens;
Hîc gratam sedem, purpura cordis habet.
In labiis animæ, flos puri sanguinis iste,
Purus amor; Virgo, quàm tibi dulce rubet!
Coccina vitta, tuo vinctum me vicit amore;
Ora dedisse mihi pura, ligasse fuit.

CXLI.

& eloquium tuum dulce.

SI labiis rubicunda tuis me stringere vitta,
Et vinclis potuit cor tenuisse meum;
Quantus in eloquio dulcor, quàm mustea virtus!
Ore verecundo, quàm mera mella sapis!
Inuitas, vrges, persuades, omnia vincis,
Eloquio victrix immaculata tuo.

Dulce

Dulce tuum fiat, ſatis eſt vt cuncta triumphet;
Propter quod fiat, factus Homo Deus eſt.

CXLII.

ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ,

QVas Diuinus amor, prædulci ſuauiat ore,
Quàm roſeæ, & dulces ſunt tibi Virgo genæ!
Punica mala, color quàm pulcher, & aureus ornat!
Fragmina quàm dulci plena ſapore ferunt:
Aurea tam radiat diuini flamma caloris,
Exſudatq; genis, dulcia mella tuis.
Oſcula te puram mea, quod puriſsima poſcunt;
Diuini fragmen, nempè ſaporis habes.

CXLIII.

abſq; eo, quod intrinſecùs latet.

TOta genis formoſa tuis, dulciſsima tota,
Dulcores omnes, omne decuſq; tenes.
Iſta venuſtatis, ſed quantula portio tantæ!
Dulcoriſq; tui quantula gutta patet!
In me tota lates. in me tua tota venuſtas
Clauditur, arcano non penetranda ſuo;
Hæc in te ſpecies, quam totus ſuſpicit orbis;
Interni decoris, nonniſi fragmen habet.

CXLIV.

ſicut turris Dauid collum tuum, Verſ. 4

CEruicis niueæ, turritam ſurgere molem
Quis vidit? non hæc lactea colla decet.
Dulcibus hoc ebur eſt ſacrum complexibus. vt quid
Cêu turris Dauid, tela, minaſq; ſapit?

Sic

Sic ego Te Virgo muniui. Sic ego in ortu,
Armaui capitis dulcia colla tui.
Aduerſus maculam ſtabis firmiſsima turris;
Vt ſoli pateas immaculata mihi.

CXLV.

quæ ædificata eſt cum propugnaculis.

VIrginei capitis columen, puriſsima ceruix;
Turritum quamuis tollat ad aſtra decus,
Non ſatis eſt. ſed eam tot propugnacula cingant;
Quot manibus ſurgunt ædificata meis.
Audeat intactam nemo mihi tangere Matrem,
Cûi defendendæ, robora tanta dedi.
Hanc contra pugnare nefas, pro cuius honore,
Ipſe meus, zelo vindice pugnat amor.

CXLVI.

mille clypei pendent ex ea.

ELectos diuina meos cùm gratia ſeruat,
Sufficit, hos vnus ſi meus vmbo tegat.
Matris honos, clypeis defendi mille meretur;
Hic in me totus, nempè redundat honos.
Quot clypeis à me fuerat defenſa, tot orbem
Ad defendendum nunc quoq; ſcuta gerit.
Mille dolis quamuis Styx impia ſæuiat; illa
Mille poteſt clypeis, vincere mille Styges.

CXLVII.

omnis armatura fortium.

TArtara viciſti, maculæ fortiſsima victrix;
Nam macula eſt, Sæuæ portio fœda Stygis.
Arma-

Armatura Dei pro te pugnauit in ortu;
Dum pro te pugnat Virgine, tota TRIAS.
Post tot felicis victricia gesta triumphi,
Omnia victrici credidit arma tibi.
Tu si cuncta tenes armamentaria cæli;
Absq; tua, nemo tartara vicit ope.

CXLVIII.

Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, *Verſ. 15*

ADmiranda tui pietas, & gratia cordis,
Quos habet affectus, quos in amore modos!
Vbera Virgineo tibi sunt manantia lacte,
Agni quæ tantùm sunt alimenta Dei.
Hinnulus his capreæ, quid pascitur ergo gemellus?
Vbera num capreas immaculata decent?
Hinnulus est capreæ peccator nunquid apud te,
Hic etiam, ô pietas! vbera Matris habet?

CXLIX.

qui pascuntur in liliis.

SI peccatores, capreæ dixisse gemellos
Iure licet, laxi corda petulca gregis;
Quis credat? niuei purissima lilia floris,
In dulces illis cedere posse cibos?
Quomodò pura malis licet inter lilia pasci?
Cum tribulis spinæ, pascua digna malis.
Dum te conceptam Virgo, sine labe fatentur;
Tum tua sunt illis, lilia pura cibus.

CL.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, *Verſ. 6.*

PRima dies fuerat, quæ noctis sustulit vmbras;
Anterior seclis omnibus illa dies;
Quâ Deus immensæ fons lucis, carnis in vmbra,
Arcanum voluit numinis esse sui.
Aspirante die tam dulci. mox ego Mater,
Immensam lucem, quæ paritura fui,
Sum præuisa Deo: proin omnis nescia culpæ;
Anterior culpâ, nam fuit illa dies.

CLI.

vadam ad montem myrrhæ,

DVm cadet omne genus mortale, quod impia primæ
Noxa premet culpæ, non mea Virgo cades.
Cùm decus innocuæ corrumpet originis Adam;
Incorrupta mihi, tu mea Mater eris.
Vt te præseruem, tu causa potissima myrrhæ;
Quam gustare libens, in Crucis axe volo.
Ad montem myrrhæ, pro te carissima vadam;
Myrrha meæ mortis, prima medela tibi.

CLII.

& ad collem thuris.

VIctima quæ suauem thuris, spirabat odorem,
Digna Deo fuerat, filius ipse Dei.
Ignis amor, crux ara fuit, Deus ipse sacerdos,
Et simul ipse suo, victima grata Patri.
Thuris erat collis, Mater purissima Christi;
Ex hoc colle fuit thus, caro pura Dei.
Virgineum decus est, nostræ thymiama salutis;
Nempè Deo dignum, thus sine labe dedit.

CLIII.

CLIII.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. *Vers. 7.*

ANgelicæ cessent linguæ, vox nulla loquatur;
Arcanum sileant cuncta creata Tuum.
Qui de te loquitur, iam cuncta silentia vicit,
Virgo tibi testis maximus, ipse Deus.
Tota, inquit, pulchra es, Diuini cordis amica;
Nec macula est in Te, quæ mihi displiceat.
Præ cunctis, Verbum tibi Virgo sufficit vnum;
Quod Verbum de te, tam bona verba dedit.

CLIV.

Veni de Libano sponsa mea, *Vers. 7.*

AD te quando tuam, Iesu dulcissime sponsam,
Vt veniat, dulci sæpius ore vocas;
Audimus. candoris eam de monte venire,
Æterno poscit numine dignus honos.
Tu Deus, immensa es puri candoris abyssus;
Sponsa Creatorem candida nonne decet?
Sponsa tibi Mater, Libani candor in illa,
Expers primæui criminis ortus erat.

CLV.

veni de Libano, veni:

CAndoris toties Virgo de monte vocata,
Aduentum renuis cur celerare tuum?
Inuitat te dulce veni, tripliciq; requirit
Inuitamento, iam mea sponsa veni.
Non moror, vt renuam; sed vt orbi constet, in ortu
Quàm dilecta Deo, puraq; tota fui.

Quæ potuit, ſciuit, quæ ter vocat; immaculatam
Quidni me voluit reddere, tota Trias?

CLVI.

coronaberis de capite Amana,

ADuentum celerare tuum, ſi Virgo moraris?
Audi, quod Sponſi vox tibi grata ferat.
Illa coronando capiti, diadema paratum
Spondet, & Auguſti Regia ſceptra throni.
Hoc decus ex capite Amana eſt. quo myſtica veri
Clauditur integritas, nec temerata fides.
Si vitæ caput eſt conceptio, candor in illa,
Et ſeruata fides, pulchra corona tibi.

CLVII.

De vertice Sanir, & Hermon.

NOnne corona tibi, cæli de vertice ſummo,
Sideribus conſtat, quæ duodena geris?
Quæ nũc ergo tua eſt, de vertice Sanir, & Hermon?
Tot ſæuis conſtans, dira corona feris?
Montibus his, tegitur deſtructio myſtica culpæ;
Vicerat exortus, quam ſine labe meus.
Deſtruxit culpam, reparauit gratia vitam;
Hæc ſine peccato vita, corona mihi.

CLVIII.

de cubilibus Leonum.

TVne mihi dilecte, cubilia ſæua leonum
Oſtendis? trucibus non ego ſueta feris.
Pax dilecta mihi eſt. habeant ſpelæa leones;
Mite volo potiùs ſit, diadema mihi.

Tu

Tu sine peccato concepta, cubilibus ipsis
Erepta es per me, quæ Leo sæuus habet.
Vnde mihi pro te, victoria maxima parta est;
Inde coronari te mea Virgo decet.

CLIX.

de montibus pardorum.

PAcificum nihil est, placidum nihil, vnde coronam
Sponse meo capiti, pacis amice paras.
Hîc vbi sæua colunt immanes culmina pardi,
Tu mihi formari regia dona iubes.
Quæ pardos in te Stygios mea gratia vicit,
Illa triumphatas, fert tibi Virgo feras.
Nec leo, nec sæui poterant te vincere pardi;
Ornent ergo tuum, tanta trophæa caput.

CLX.

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, *Vers. 9.*

SAucius in medio cordis, sed vulnere dulci;
Non possum plagam dissimulare meam.
Vulnus hiat, sed dulcè sapit. nam vulnus amoris;
Quo me vicisti, tu mea sponsa Soror.
Humani generis decreta redemptio, quod me
Cordis inextincto torserit igne diu;
Ipsa tuæ species animæ purissima, Virgo,
Mille mihi stimulos, vulnera mille dedit.

CLXI.

Vulnerasti cor meum,

HÎc iterum fateor, vicibus quod mille fateri
Dulce mihi est, cordis vulnus hiare mei;

Geſtio, nõn doleò, plagæ medicamina nolo;
Dulcia quæ patior vulnera, ſemper amo.
Vulneris hic dulcor, tua quem puriſsima fecit
Integritas Virgo, maximus inde mihi;
Quod ſine peccato ſeruatam, in vulnere cordis,
Hîc recolo Matrem te latuiſſe meam.

CLXII.

in vno oculorum tuorum,

DVlcibus ô quæ me iaculis configis amantem,
Quanta pharetrati lumina cordis habes!
Purus amor, geminis annon tibi flagrat ocellis?
Me pupilla tamen vulnerat vna magis,
Quæ tibi vis animæ fuerit puriſsima Virgo,
Quàm fueritq; acies immaculata, vide.
Ex geminis oculis, oculus me vulnerat vnus;
Nam Deus vnus ego, meta vtriuſq; fui.

CLXIII.

& in vno crine colli tui.

REgius Abſalon iuuenis, dum crine rebelli
Hæret, ab inſidiis tollitur ipſe ſuis.
Mortis erat iaculum, fuerat quæ fulmen amoris,
Nunc dilecta nimis, nunc inimica coma.
Vno crine tui, Virgo puriſsima colli
Non capior tantùm; ſed quoq; vincor ego.
Nulla tuum collum, fecit mihi culpa rebelle;
Me tuus hinc vno, crine triumphat amor.

CLXIV.

Verſ. 10. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa!

Quis

QVis decor in mammis? oculo si nescia cerni,
Arcanum seruant pectora casta suum.
Hi gemini fontes, diuini in Virgine lactis,
Soli noscuntur, cûi patuêre Deo.
Omnibus vt constet, materni quæ sit honoris
Gratia, quàm nulli par sine labe decus;
Conditor ipse stupet, pulchras in Virgine mãmas;
Ipso etiam Virgo est, pulchra stupente Deo.

CLXV.

pulchriora sunt vbera tuo vino.

AVdiui, meliora tibi sunt vbera vino,
Dicentem sponsum, dum sibi sponsa placet.
Pulchra super vinum nunc vbera laudat; amoris
Nunc gustum pascens, nunc oculosq; sui.
Dulce quod est pulchrum, quod pulchrum dulce putatur;
Vbera quæ bona sunt, vbera pulchra Deo.
Vt meliùs nihil est, post Christum, Virgine Matre;
Sic nihil est, post hunc, pulchriùs ante Deum.

CLXVI.

& odor vnguentorum tuorum, super omnia aromata.

DVlcibus vnguentis, animæ placuêre fideles,
Quêis vnquam licuit cor recreare meum.
Plena voluptatum congessit aromata virtus;
Surgeret ex illis, vt mihi gratus odor.
Omnibus vnguentis tu dulcior vnica; totum
Dulcoris fontem, gratia Matris habet.
Conscius est maculæ, qui fragrat in omnibus. vnus
Præ cunctis, tuus est immaculatus odor.

CLXVII.

CLXVII.

Verſ.11. *Fauus diſtillans, labia tua ſponſa,*

NEctarei mellis, quæ ſit tibi copia Virgo,
Dulcia quæ toties ſuauio, labra probant.
Diſtillare fauos video de corde pudico;
Quod ſapit os purum, cor quoq; dulce ſapit.
Miraris, toties tibi quod ſuauiſsima figam
Oſcula, dum labris hæreo ſponſa tuis;
Cordis ab alueolo manantia colligo mella,
Dulcibus in labiis, en ego ſponſus apis.

CLXVIII.

mel, & lac ſub lingua tua:

VIrgo, tuæ quod ſim captus dulcedine linguæ,
Cùm tibi plena meum, gratia dixit Aue;
Flexanimi poterat vis hoc feciſſe ſaporis;
Qui tibi melle ſimul, lacte ſimulq; fluit.
Melle Deus paſcor, quo mens tua depluit intus,
Diſtillans puros, immaculata fauos.
Lac mihi dulce homini, quo paſcor ab vbere caſto;
Digna Deo Mater, ſic in vtroq; ſapis.

CLXIX.

& odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris.

VEſtibus orta nouis, fuerat benedictio Iacob,
Suaueolens Patrem, dum recreauit odor.
Cor Patris æterni, quis odor? quæ gratia Virgo?
Delectat thuris quod thymiama tui?
Ex te, dum noſtræ tulit indumenta ſalutis,
Nonne tuo fuerat tractus odore Deus?

Thure

Thure Deum vicit fragrantia nescia culpæ;
Vestis ei, de te Virgine pura caro.

CLXX.

Hortus conclusus, soror mea sponsa, *Vers. 12.*

QVæ mea formatrix, animæ plantauerat hortum,
Deliciis clausit nonnisi dextra meis.
Immani sed mox patuit reclusus Auerno;
Sepimen posuit gratia, culpa tulit.
Clausus ab æterno propter me floruit hortus,
In te sponsa soror, quem temerare nefas.
Matris honore meæ, quàm res indigna fuisset!
Te hortum reclusum, vel semel esse Stygi.

CLXXI.

Hortus conclusus,

DEliciis Regum viridaria clausa, quis vnquam
Audaci nimiùm fecit aperta manu?
Maiestate sua tutum est, quod summa potestas
Eligit. omnem vim Regius arcet honos.
Ergonè tu Virgo, cùm sis mihi Regius hortus,
Maiestate meâ, tuta sat esse nequis?
Nemo aperit, quod ego claudo. nec claudit apertum.
Horti in Matre mea Rex ego, clauis ego.

CLXXII.

fons signatus.

DVlcis aquæ fontem, signaui te mihi Virgo;
Ex quo manaret pura scatebra mihi.
Matris honos signum est, quo non Diuinius vllum;
Omnis in hoc signo gratia clausa, sita est.

Fons mihi signatus, momento clauditur omni;
Culpa Deo sacras nulla resignat aquas.
Si meus hic fons est, & solo Numine dignus?
Quis putet ex isto fonte bibisse Stygem.

CLXXIII.

Vers. 13. *Emißiones tuæ paradysus,*

DElectat meminisse tui, cùm mente Paterna
Præuisa es Virgo, nescia labis Adam,
Interni decoris, tibi formosissima iam tum
Gratia vernabat, Numine digna meo.
Innocuæ radix animæ purissima, nonne
Emisit puri palmitis omne decus?
Necdum nata mihi, necdum concepta fuisti;
Deliciis vernans iam paradysus eras.

CLXXIV.

malorum punicorum, cum pomorum fructibus,

VEre nouo, primis cum floribus omnia vernant;
Quis credat sapidis fructibus esse locum?
Autumnum Pomona tenet, quo punica malus
Fundit in expansos dulcia mala sinus.
Tu dulcis paradyse mihi, ver fructibus imples;
Inq; meum fundis dulcia poma sinum,
Gratia plena tuo quoniàm maturuit ortu;
Ver plenum, Virgo, fructibus inde tibi.

CLXXV.

Cypri cum nardo,

PRima tuæ vernabat adhuc conceptio vitæ,
De te fragraret cùm mihi dulcis odor.

Cy-

Cyprus lætitiam, Nardus ſpirabat amorem,
Qui te delicium fecerat eſſe meum.
Tu ſine peccato fueras mihi Cyprus amœna;
Culpa vbi præceſsit, gaudia vera procul.
Nulla Deo grata eſt, niſi puri nardus amoris;
Cyprum cum nardo, ſic mea Mater habes.

CLXXVI.

Nardus & crocus, fiſtula, & Cinnamomum, Verſ. 14.

ASsyrios, Perſas, Aarabes, iunctaſq; Sabæis
Tot gentes alias, axe in vtroq; ſitas,
Excutiat quæcunq; manus, ſuauiſsima quærens
Cinnama cum nardo, dulceq; quidquid olet;
Nullus odoratis locus eſt, & nulla voluptas
Deliciis terræ; quas thymiama tuum
Non ſuperet Virgo. myrothecia vincis in orbe,
Omnia, cùm fragas immaculata mihi.

CLXXVII.

cum vniuerſis lignis Libani,

VErtice Libani, quidquid natura locauit
Vernans fructiferum, dulceq; quidquid habet;
Tu ligno vitæ ſuperas puriſsima Virgo;
In te plantauit, quod mea ſumma manus;
Omnibus ex lignis Libani gloria ſurgit;
Frondoſumq; illi germinat omne decus.
Omnia Libani tu vincis germina; ſoli,
Cùi licuit, vitæ germen habere Deum.

CLXXVIII.

myrrha, & aloë, cum omnibus primis vnguentis.

GRatia, post Christum, nulli data maior in orbe;
Quàm tibi Virgo Parens immaculata fuit.
Primis vnguentis te Sacrum Flamen invnxit;
Quæ fueras semper prima in amore Dei.
Deliciæ tamen hæ myrrham sapiunt, aloénq;
Num simul es Virgo dulcis, amara simul?
Dulce cor est Matris, pro peccatoribus in me;
Contra peccatum, myrrham aloénq; fero.

CLXXIX.

Vers. 15. *Fons hortorum:*

LAbuntur vitreæ puris de fontibus vndæ,
Vt florum seruent, viuificentq; decus.
Fonte carent horti, marcescere cuncta necesse est;
Floribus, ac herbis, vita vigorq; cadit.
Floribus electis, Deus ô purissima Virgo!
Hortorum fontem te sine labe dedit.
In sanctis etiam, perfectæ germina vitæ
Marcent cuncta, tuo tu nisi fonte riges.

CLXXX.

Puteus aquarum viuentium,

VItales vndæ non sunt, vbi vita recessit:
Vitales animæ, gratia reddit aquas.
Cisternas mortis, culpæ labor impius altùm
Effodit, in præceps altiùs ipse ruens.
Tu puteus viuentis aquæ. nam purus in ortu
Vndæ vitalis, fons tibi Virgo datus.
Mensuram putei istius, quàm viuus, & altus;
Ipse Deus, vitæ fons, & abyssus habet.

CLXXXI.

CLXXXI.

quæ fluunt impetu de Libano.

IN puteis vndæ, venarum fonte perenni
Deriuant latices, interiúsq; scatent.
Virginis in puteum, Libani vertice currunt,
Quas grauis in præceps, impetus vrget aquæ.
Vertex Libani, tuus est purissimus ortus;
Omnis ab hoc currit gratia monte tibi.
Impetus hic, Virgo, tantus quod fluxerit in te,
Tota hæc, Diuino vis ab amore fuit.

CLXXXII.

Surge Aquilo, *Vers. 16.*

OMne malum pandens Aquilo, florumq; Tyrannus,
Flatibus egelidis florida cuncta necat.
Hunc sæuum brumæ gladium, quod surgere poscis?
Floribus anne optas funera Virgo tuis?
Horti quanta tui fiducia! gratia quanta!
Quod nullum timeas, ex Aquilone malum.
Immaculatus honos, stygiam vim prouocat omnem;
Deliciis Aquilo seruiet ipse tuis.

CLXXXIII.

& veni Auster,

TVrbidus est Auster, nimiis sæuusq; procellis;
Hortorum teneras sæpè fatigat opes.
Voce tamen dulci, purissima Virgo quid vrges?
Auster ad hortorum flamina dulcè veni.
Nulla procellosi timeo dispendia venti;
Radicata mihi gratia, tuta salus.

Turbidus eſt, culpæ qui robora conterit Auſter;
Sed placidus, qui me recreat Auſter, amor.

CLXXXIV.

perfla hortum meum,

ADuerſis perflare tui duo flamina ventis,
Areolas horti, Virgo beata iubes;
Delicias florum potiùs contraria, flantis
Auſtri cum Borea, vis ſine lege rapit.
Nulla mihi vis eſt contraria, nulla procella;
Quæ ſemper vixi conciliata Deo.
Pugnam quæ generat, culpa eſt; ſed gratia pacem,
In me conciliant omnia, pax & amor.

CLXXXV.

& fluant aromata illius.

OPtabas, Virgo, ventis ſurgentibus, hortum
Vt tibi perflaret, Flaminis aura Dei.
Fecit Pneuma Sacrum, perflauit dulcibus in te
Flabellis animam, quæ ſine labe nitet.
Inde fluunt nobis, tot aromata dulcia de te;
Quot tua delicias, Matris abyſſus habet.
Vnctio tanta tibi internæ dulcedinis; vt ſit
Omnis in electis copia, gutta tuæ.

DIES QVINTA.

Ex Capite Canticorum 5.

CLXXXVI.

Veniat dilectus meus in hortum ſuum, *Verſ. 1.*

QVàm dulcis vox hæc, Ieſum quæ poſcit amantem!
Dilectoq; ſuo, quàm benè fiſus amor!

Ar-

Ardet, & inuitat, veniendi nullaq; ponit
Tempora; momentis omnibus optat, auet.
Vox hæc, inuitans animæ vernantis in hortum
Virginis est, Iesum quæ sibi adesse cupit.
Illa Deo tempus cùm non designat amanti;
Plena voluptatis tempora semper habet.

CLXXXVII.

& comedat fructum pomorum suorum,

DEfraudauit opus diuinum, poma negata
Ex prima rapiens arbore, prima gula.
Gustibus hi fructus fuerant cælestibus apti;
Vni seruâras quos tibi Magne Deus.
Arbor ego vitæ, melioris plena saporis,
Præseruata tuo Numine, poma tuli.
Mortis, & inferni, quæ non sunt conscia morsûs,
Vt comedas, Iesu, dulcia poma, veni.

CLXXXVIII.

Veni in hortum meum, soror mea Sponsa,

AFfectu certare licet, tui dulcibus vt me
Inuitamentis Sponsa, sororq; vocas;
Sic ego me tanto certamine non sino vinci;
En tibi quæ visas, nostra vireta patent.
Tu petis vt veniam, nec tempora ponis amanti;
Omni momento, tu quoq; Virgo veni.
Non licet hoc aliis, Matri tibi quod licet vni;
Omni peccato, cûi caruisse licet.

CLXXXIX.

CLXXXIX.

messui myrrham meam, cum aromatibus meis,

DVm tibi vernantes hortos, & dulcia cordis,
Ad quæ descendas, pando vireta mei;
Non Pæstana dabunt, Hyblæq; rosaria, molles
Delicias; sed amor munera amara tibi.
Messuit hic myrrhã. sed amaris myrrha maniplîs,
Sanguineæ pœnas in Cruce mortis habet.
Messis amara quidem. sed quod delectat in illa,
Tu sine peccato, dulce es aroma mihi.

CXC.

comedi fauum, cùm melle meo,

AD discerpendos, rabidis cum faucibus ortus
Virgo tuos, Stygiùs panderet ora leo;
Pugnaui pro te Samson fortissimus; vngues,
Oraq; peccati sanguinolenta premens.
Bellua trux cecidit discerptis faucibus; & tu
Dente fero cedis non violata mihi.
Hinc meus est in te, tanto certamine partus;
Quem comedo, dulcis de comedente fauus.

CXCI.

bibi vinum meum, cum lacte meo.

SI me Virgo roges, dum me sitis vrget amoris,
Quàm dulces potus, qualia pôcla bibam?
Lac mihi cum vino, dulcissima pocula præbet;
Sed lac Virgineum, mustaq; pura bibo.
Labruscas hominum peccatum fecit amaras;
Impurum culpæ lac, meus odit amor.

Vina

Vina bibo de corde Patris, lac vbere Matris;
Vua mihi Pater eſt, lactea vena Parens.

CXCII.

Comedite amici,

PEctora cara mihi, dilectæ Matris amici,
Conuiuas menſæ, vos ego poſco meæ.
Ardua, per cathedras quoniam tot prælia vicit,
Defenſus per vos immaculatus honos;
Non ego terrenæ vobis conuiuia menſæ
Inſtruo, poſt tanti grande laboris opus;
Manna ego ſum cæli, Mater mea fœderis arca;
Ipſa cibos dulces, quos comedatis habet.

CXCIII.

& bibite, & inebriamini chariſsimi.

SI fauus eſt Virgo, ſi mel, ſi nectar, & omnis
Ambroſiæ fons eſt, qui ſine labe ſcatet;
Hinc bibite, & ſapidum totis haurite medullis,
Immaculata eius quidquid origo ſapit.
Nec bibere ex hoc fonte ſatis; niſi tota caleſcat;
Quæ pro Matre mea, mens pietate calet.
Qui ſic ebrius eſt, hic ô chariſsimi amici,
Verè felici ſobrietate ſapit.

CXCIV.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

ADulci requie procul eſt, quē culpa remordet; *Verſ. 2.*
Morſu quo caruit, mens ſine labe mea.
Securè dormit, quam ſomnus amoris, in ipſo
Diuino voluit compoſuiſſe ſinu.

Hanc mihi culcitram, quâ nõn securior vlla est,
Sollicitus de me conciliauit amor.
Cùm trepidant omnes, ego dormio; nã scio Iesu,
Dum vigilas pro me, cor vigilare meum.

CXCV.

Vox dilecti mei pulsantis,

QVando tibi clausum fuerat, dulcissime Iesu,
Quod patuit semper, cor sine labe meum?
Quid pulsare placet? quid aperti viscera cordis
Vt pandam; dulci voce, manuque iubes?
Vox tibi dilecti venientis sufficit; at non
Dum veniens propero, sufficit illa mihi.
Vt tua me caperent, purissima viscera Mater,
Vrgens pulsabat, qui sitiebat amor.

CXCVI.

Aperi mihi,

TV clauis Dauid, tu rerum summa potestas,
Interior facies omnis, aperta tibi.
Tune meum conclaue, tibi cêu non sit apertum,
Vt pateat poscis, tot geminasq; preces.
Dulcè aperi clamo, quamuis sim tota potestas;
Cuncta Deo quamuis sint reserata mihi;
Velle tuum expectans, vt viscera casta subintrem;
Dulce tuum fiat, clauis amoris erit.

CXCVII.

Soror mea,

PRo! quãta hæc pietas! quãta hæc dignatio Iesu!
Quò rerum, tandem te tuus vrget amor!

Tot

Tot geminas voces, ſtimulis tot dulcibus, & tot
Inuitamentis, me mea vita rapis.
Hæc in amore meo, pro te eſt inuentio dulcis;
Vt tibi ſim natus, ſim quoq; frater ego.
Humani generis fratrem me gratia fecit;
Gratia quam genuit, tu mihi Virgo ſoror.

CXCVIII.

Amica mea;

IOnathas Dauid dilecti cordis amicum
Seruauit, quoties ſæuiit ira patris,
Saúl furiis ardet, ſed carum pectus, amanti
Præcuſtodiuit, corde ſagitta volans.
Hoc amor in Dauid Ionathæ. quid meus in te,
Tantus ab æterno non potuiſſet amor?
Saul tibi Tartareus, primâ ne labe noceret;
Cordis erat monitrix, nonne ſagitta mei?

CXCIX.

Columba mea,

NVntius ex arca coruus, fœdiſsima poſtquam
Obtulit eſca cibos, amplius hâud rediit.
Pura columba, pedem quo figat, non habet, inter
Impuros latices, totaque pura redit.
Fecerat ex niueis coruos impura columbis
Culpa; ſed hos mundi fœda rapina tenet.
Ad me tota volas, in mundi crimine ſanctum,
Quæ non fixiſti, pura columba pedem.

CC.

immaculata mea;

DVm gemino voces, dum pulſo cordis amici
Oſtia; mille tibi dulcia verba loquor.
Iam ſoror es dilecta mihi, iam dulcis amica;
Iam niuei cordis, pura columba mihi es.
Dulciùs an reſtat quidquam? quo te mea Mater
Vox tibi præcunctis delicioſa vocet?
Audiat hoc orbis; tibi quod dulciſsimus hic ſit
Omnibus ex titulis, Immaculata mea.

CCI.

quia caput meum plenum eſt rore,

LVcifer in ſplendore ſuo, fulgere priuſquam
Inciperet, Stygiis mox tumulatus aquis,
Pro te, cura mei iam tum vigilauit amoris,
Præueniens facti luminis omne iubar.
Gratia matutina tuos ſeruaret vt ortus,
Rore caput plenum, me vigilaſſe probat.
Ex hoc rore meo, concepta es neſcia culpæ,
Tu pretioſa maris gemma, MARIA mihi.

CCII.

& cincinni mei guttis noctium.

VNde tibi guttæ noctis? qui lucis abyſſus,
Qui ſplendor Patris es, totaq; clara dies.
Cincinni maduêre tui, ſed noctis in vmbra;
Quæ luci immenſæ, non fuit vlla tibi.
Dum pro te vigilo, dum te deſidero naſci;
Dum puram Matrem, te meus ardet amor;
Nocturnis guttis madui. nam ſine te Virgo,
Ipſa etiam mea Lux, nox mihi viſa fuit.

CCIII.

CCIII.

Expoliaui me tunicâ meâ, & quomodo induar illâ?

COnſcius admiſsi ſceleris, velamina poſcit ; *Verſ. 3.*
Vt tegat, in culpam corpora lapſa pudor.
Ad tunicam ventum eſt impura labe ſcatentem,
Dum ſua cognouit crimina, nudus homo.
Hâc ego nunc per vos, qui culpam quæritis in me,
Veſte quid impurâ, pura virago tegor?
Quomodo peccati tunicâ nunc induar illâ?
Quâ me præueniens expoliauit amor.

CCIV.

Laui pedes meos , quomodo inquinabo illos?

ILlotis pedibus, veſtigia fœda Parentum,
Tramite Cænoſo ſtirps lutulenta premit.
Planta mihi ſoli puriſsima, totaque lota eſt ;
Quâ caput impurum dæmonis ipſa premo.
Sed mea commaculant puræ veſtigia plantæ ;
Non credunt ortus, qui ſine labe meos.
Præſeruata mei Ieſu, quos ſanguine laui,
Quomodò culpa meos, inquinet vlla pedes?

CCV.

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen.

NOn totus dilecte pates, non totus, amoris *Verſ. 4.*
Oſtia quando tibi tota reuelo, venis.
Me magis irritant anguſta foramina ; quæ te
Nunc mihi concedunt, nunc rapiuntq; mihi.

Quid facis ò Iesu! cordis per dulce foramen,
Quam ad me misisti, quæ fuit illa manus?
Quæ te subtraxit culpæ, mea dextera vindex;
Per vulnus cordis transiit illa mei.

CCVI.

Et venter meus intremuit ad tactum eius.

ILle tuus Iesu thalamus purissimus in me,
Dulcis ab æterno, quem tibi strauit amor,
Ad dulcem tactum tremuit. quid terret amantē;
Quæ me vt delectet, tangit amica manus?
Contremuit venter, non culpæ conscius; in quo
Pura tibi sedes, totaq; Sancta fuit;
Sed tremuit, postquam crucifixum sensit amorem,
Pro mundi vita, te statuisse mori.

CCVII.

Vers. 5. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo:*

IAm tandem placuit, dilectus voce, manuq;
Quod petit, vt faciam; quod cupit, vt teneat;
Pura mei petiit reserari viscera cordis;
Surrexi, quod auet cor reserare meum.
Credimus ô Virgo te surrexisse; sed istud
Quàm pridem fuerit, tu nisi sola capis.
Ante reos culpæ, diuina in mente, parentes;
Surrexi, Christo proxima Mater ego.

CCVIII.

Manus meæ stillauerunt Myrrham.

Hospi-

HOſpitis ergo Dei, quando gratiſsimus inte
Aduentus Virgo, gaudia mille petit;
Mille fauos manibus ſtillantes quando meretur;
Myrrha quid è manibus ſtillat amara tuis?
Vt mihi cor licuit dilecto pandere Ieſu,
Hanc myrrham primam fuderat ipſe mihi.
Myrrha hæc prima mihi, omnis præſeruatio culpæ;
Hâc myrrhâ primâ, ſola redempta fui.

CCIX.

& digiti mei, pleni myrrha probatiſsimâ.

DIcere te, myrrhâ nil crebriùs, audio Virgo;
Dulce nihilq; magis, quàm tibi myrrha ſapit.
Iam ſtillare manus, digitos iam dicere plenos
Delectat. myrrham ſic propè tota ſapis.
Hoc me delectat, ſapit hoc mihi dulcius omni
Vnguento, fuerat quod mihi tota ſalus.
Myrrha mei Ieſu me præſeruauit; in illa
Et manus, & digiti, totaque mergar ego.

CCX.

Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo.

COr Deus humanũ, ſibi cùm formaſſet apertũ, *Verſ.* 6.
Mole graui culpæ, clauſerat illud homo.
Peſſulus heû cordis peccatum! quo Deus intrò
Senſerat hêu toties oſtia clauſa ſibi.
Nulla mihi moles peccati, clauſerat vnquam
Oſtia; quæ fuerant ſemper aperta Deo.
Si quis erat cordis, qui non excludit amantem;
Dulcis amor fuerat, peſſulus ipſe ſibi.

CCXI.

at ille declinauerat, atq; transierat.

ILlecebræ dulces, melliti luſus amoris,
Quàm vos nulla hominum dicere lingua poteſt!
Pulſauit, petiit, reſerentur vt oſtia cordis;
Surrexi, feci, quod petit ecce patet.
Oſcula dum mellita paro, dum brachia pando;
Declinat, tranſit; nectit, amatq; moras.
Non declinat amor verè, ſed ludit amando;
Verè vt declinet, nonniſi culpa facit.

CCXII.

Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt:

IGnitum Verbum Diuinum, dulcia poſtquam
Cœpit pro mundi verba ſalute loqui;
Protulit hâud aliud mihi verbum dulcius, illo
Quo Matrem voluit me ſtatuiſſe ſibi.
Si Deus eſt ignis conſumens? quomodo tanti
Igne meus Verbi, non caluiſſet amor;
Igne calens tanto, cùm necdum culpa fuiſſet;
In Verbo fueram, iam liquefacta Dei.

CCXIII.

quæſiui, & non inueni illum:

QVærere dilectum toties te dicis; at ille
Dulcia, quæ poſcis, gaudia ſæpè negat.
Non inuentus abeſt, refugit, longiſq; fatigat
Cùm te promiſſis, cor tibi Virgo rapit.
Non refugit culpam dilectus, quæ mihi nulla eſt;
Illius hæ dulces, ſunt in amore vices.

Gratior

Gratior vt veniat, refugit ; me quando moratur;
Irritamentis recreat ille suis.

CCXIV.

vocaui, & non respondit mihi.

IVsta tibi Virgo querimonia, quod tibi nolit
Respondere tuus, sæpè vocatus amor.
Ille tibi totum solamen,tota voluptas;
Respondet voci, non tamen ille tuæ.
Verbum Diuinum, tibi non respondet amanti ?
Elegit Matrem, quam sine labe sibi.
Non sunt hæc iræ, sed amantis symbola verbi ;
Ad te nam veniens, omnia dixit amor.

CCXV.

Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ci- Ve,7.
uitatem:

VObis diuinæ vigiles, doctæq; phalanges ;
Quêis oculus nimiùm, cura nimisq; sagax ;
Circuitu mentis vario, dum multa pererrant;
Omnia dum liquidò, se penetrare putant ;
Me quoq; diuinam sic inuenêre Parentem;
Vt primâ nolint, me caruisse notâ.
Hos ego custodes nolo; vigilantia quorum,
In scirpo nodum, quærit acuta meo.

CCXVI.

Percusserunt me,

PAstorem, crudele nefas, dum percutit audax,
Hebræi populi, sacrilegumque scelus;

Dum tormenta mei, dum ſpecto vulnera nati,
In me commiſit, turba ſceleſta nihil.
Nunc in deliciis, nunc inter dulcia Ieſu
Oſcula, non vno vulnere percutior.
Peccati maculâ, qui me percuſsit in ortu;
Proh dolor! ille mihi liuida ſigna dedit.

CCXVII.

& vulnerauerunt me.

VT ſecura mei defenſio ſtaret honoris;
Vndiq; me cinxit mænibus, ipſe Deus,
Cuſtodeſq; dedit murorum; voce, ſtyloq;
Quos, pro Matre Dei, fortia geſta decent.
Quis putet? hos in me lethalia ſtringere tela;
Excubiis ô quàm vulneror ipſa meis!
Plaga animæ culpa eſt. hâc me, qui conficit, an non
Pugio lethalis, ſufficit iſte mihi?

CCXVIII.

tulerunt pallium meum mihi, cuſtodes murorũ.

VVlnera quæ patior, quãuis mihi ſæua vidẽtur;
Innocuum vitæ, dum petiêre caput;
Nulla mihi grauior querimonia; veſte ſalutis,
Quàm quod cuſtodum, ſim ſpoliata manu.
Quò mihi Virgineus pudor eſt? quò gloria Matris?
Si primæ pateo diſcooperta notæ?
Qui Matrem ſpoliat, puri candoris amictu;
Nato, quem genui, detrahit ille Deo.

CCXIX.

Verſ. 8. Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum,

Adiu-

ADiuras tōties, niuei puriſsima cordis
Agmina; quæ princeps Vrbs Solymæa tenet;
Vt ſi dilectum fors inueniſſe liceret;
Dulce tibi verbum, nuntius iſte ferat.
Si fugit à macula dilectus? quomodò natis
In macula, faciem proferet ille ſuam?
Quin potius Virgo, quoniam puriſsima ſola es;
Sola Deum, per te quem videamus, habes.

CCXX.

vt nuntietis ei, quia amore langueo.

ÆStibus immenſis flagras, animoq; liqueſcis;
Tota Deum ſitiens, totaq; merſa Deo.
Hunc ardes, quo iam frueris. res mira, quis iſte
Nuntius abſenti, qui manet intùs, erit?
Tota Deo quamuis potiar, quem diligo Mater;
Hêu nunquam ſatians eſt mihi languor, amor.
Culpâ alii languent; ſed ego ſine labe Creata,
Non mihi quod timeā langueo, ſed quod amē.

CCXXI.

Qualis eſt Dilectus tuus ex dilecto, *Verſ. 9.*

FLammea diuini quoniam vis vrget amoris,
Cor deſiderio tam vehemente calens;
Nouimus ex tantis ardoribus, vrere quiddam
Immenſum, cordis viſcera caſta tui.
Tanto igitur Virgo, tibi quis dilectus amore?
Quem genui vobis, immaculata Parens,
Dilectus meus, ex dilecto corde paterno,
Filius, æterni eſt, ipſa medulla Patris.

CCXXII.

O pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto,

SOlliciti rursum petimus, nec pectora cessant
Anxia, Virgo tuus quærere, quis sit amor?
Dic volupè est, mellita tui quæ gratia Sponsi?
Præ cunctis quod amas, dicere sola potes.
Quem Pater æternus genuit, similem sibi Natum;
Nube sub humana, qui latuitq; Deus,
Dilectus meus, ex dilecto viscere Matris,
Ipse mihi Sponsus, Filius ipse mihi.

CCXXIII.

quia sic adiurasti nos?

IPse licet fateatur amor, quàm tota liquescas;
Quàm non sustineas tædia mille pati,
Cùm dilectus abest; tamen ô pulcherrima Virgo!
Adiurasse tibi corda pudica placet.
Sufficit hoc de te, Mulier pulcherrima quod sis;
Iam patet hinc, Sponsi tessera tota tui.
Qui te dilexit, cùm sit pulcherrimus ipse;
Formâ animæ similem, noluit esse tibi.

CCXXIV.

Dilectus meus candidus, & rubicundus,

Vers. 10. VT nôrint animæ, quis sit quē diligo Sponsus;
De Verbo quod amo, verba diserta loquor.
Dilectus meus est, & candidus, & rubicundus,
Carnis ei rubor est, sed Deitatis ebur.

Sangui-

Sanguine tincta caro rubuit, sed plaga cruoris;
Non hæc dilectum sola rubere facit.
Candidus erubuit, quod Matrem labe notatam
Asserat hêu, nolens erubuisse pudor.

CCXXV.

electus ex millibus.

QVem Diuina Parens genui, lectissimus ille est
Millibus ex multis, Natus, amorq; meus.
Hunc mihi delegit, qui secula condidit, & me,
Numinis æterni fons, & origo Pater.
Si mihi Filius est, ex multis millibus vnus;
Præ Natis hominum qui speciosus erat;
Millibus ex multis, cur non electa? Parentem
Ipsa meum poteram, quæ genuisse Deum.

CCXXVI.

Caput eius aurum optimum:

QVam Iouis è cerebro natam finxêre Mineruã; *Vers. 11.*
Mendacis partus filia vana fuit.
Pallas ego, capitis Diuini nobile germen,
Ipsa Dei veri, filia vera fui.
Hoc caput obryzi, fuit optima vena metalli,
Sitq; eius soboles aurea tota, decet.
Vt Deus est purum, qui me sibi condidit aurum;
Sic est peccati, scoria nulla mihi.

CCXXVII.

Comæ eius, sicut elatæ palmarum,

CÆsariem dum Nate tuam, capitisq; decōrem
Cerno; tuas recolens, hæreo mente, comas.

Quid tibi cum palmis? elato germine surſùm,
Tendere quas noui; ſi tibi mens humilis?
Iſta coronati capitis ſed gloria victrix,
Peccati quod ſis victor, amica tibi.
In me Matre tua, quod labem viceris omnem;
Inde triumphalis fert tibi palma comas.

CCXXVIII.

nigræ quaſi coruus.

DIuini formoſa nimis nigredo capilli,
Nobile candoris pulchriùs auget ebur.
Hanc capitis ſpeciem, vis ignea fecit amoris;
Quo Matrem Natus diligit ipſe ſuam.
Candeat hæc, labemq; animæ non ſentiat vllam;
Nigreſcat Ieſu, dulce in amore caput.
Inde velut coruus, facta eſt dilectio Nati;
Mater, quando velut pura columba nitet.

CCXXIX.

Verſ. 12. *Oculi eius, ſicut columbæ ſuper riuulos aquarū,*

INnocuis non eſt oculis, pulcherrime Ieſu,
Ex volucrum numero gratior vlla tibi;
Quàm ſuper vndarum riuos ſpecioſa columba,
Dulcia quæ vitreis, lumina fixit aquis.
Hæc tibi dilecta eſt caſtæ pupilla columbæ;
Hac contemplari pura fluenta placet.
In ſpeculo, Ieſu quid contemplaris aquarum?
Contemplor Matrem, labe carere meam.

CCXXX.

quæ lacte ſunt lotæ,

BAlnea, quæ niueo manant purissima lacte,
Mundities animæ poscit amica Deo.
Sic lotas opus est, vt diligat ipse columbas;
Quêis sua conformat lumina pura Deus.
Lacte tuo lotam, Diuino Sanguine nempe,
Præ cunctis Matrem, fas erat esse tuam.
Virgineo fueras quoniam tu lacte cibatus;
Quidni hæc lacte tuo, lota columba fuit.

CCXXXI.

Et resident iuxta fluenta plenißima.

SI tuus est oculus Iesu, quem lota columba
Lacte notat, riguis quæq; moratur aquis?
Fixis cur resides, totis obtutibus in me?
Cùm tot sint oculis, digna fluenta tuis.
Electos latices quamuis contemplor; in illis
Non resident visus, lumina fixa mei.
In te sed resident. plenissima nempe fluenta,
Tota meis in te, gratia fudit aquis.

CCXXXII.

Genæ illius, sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis. *Vers. 13.*

QVis putet? in facie Iesu quod floreat hortus;
Dulce quod è roseis, spiret aroma genis.
Et tamen areolas, & pigmentaria cerno
Hîc opera; & quidquid balsama grata sapit.
Os animæ spiret, quàm balsama pura necesse est?
Figat quod tantis, oscula digna genis.

Hæc

Hæc mihi conceſſa eſt, puriſsima gratia Matri;
His ego quippe genis, oſcula mille dedi.

CCXXXIII.

Labia eius lilia,

PVra Dei Mater quod ſim concepta; fateri
Vt poſsis, ortus mente reuolue meos.
Diuino genuiſſe Parens altiſsimus ore
Me uoluit. cunas hîc ego noſco meas.
Hinc mihi tanta animæ dignatio. ſcilicet ortus
Non poterat fieri purior, ore Dei.
In labiis eius, ſi credis lilia naſci?
Cur mihi in his natæ, lilia pura negas?

CCXXXIV.

diſtillantia Myrrham primam.

FLos niueus cùm ſit, labiis qui candet eburnis;
Nectareos opus eſt, ſpiret vt ille fauos.
Diſtillare tamen myrrham, cur fertur amaram?
Hîc vbi nectaris eſt, ambroſiæq́; locus.
Sic voluit, Matrem qui primam morte redemit;
Liligeris guſtans fellea pocla labris.
Vt ſine peccato, mea lilia pura niterent;
In labiis Ieſu, Myrrha ego prima fui.

CCXXXV.

Manus illius tornatiles aureæ,

Verſ. 14. AD tornum formata manus, manus aurea Ieſu;
Vt nil contineat, lubrica tota manet.
In minimas partes, vt lamina ducitur auri;
Sic minimis, Ieſu dextera tota patet.

Si tam

Si tam sunt largæ, si tam funduntur in omnes;
Si nihil est, Matri quod tribuisse negent?
Conceptus sine labe mei, purissima dona,
Quomodò tàm faciles continuêre manus?

CCXXXVI.

plenæ hyacinthis,

TOrnatis manibus, bonitas immensa tenere
Cùm nihil, ex summo Iesus amore queat;
Floribus, & gemmis hyacinthi, quomodò plenas
Tam bonus, & facilis, continet ipse manus?
Electi flores alii, gemmæq; parentum
Per culpam, diuinâ heu cecidêre manu.
E manibus Iesu, culpam non lapsa per vllam,
Sola ego gemma poli, flosq; hyacinthus eram.

CCXXXVII.

Venter eius eburneus,

LAudibus immensis, cùm sit dignissima Iesu
Forma tibi; cùm sit maximus ille decor;
Sint sua Diuino quidni præconia ventri?
In quo depositum, candor eburnus habet.
Mens tua Diuina, est hic venter eburneus; in quo
Conceptus fuerat, vitaq; prima mihi.
Quid mirum? Iesu fuerit cùm Venter eburnus?
In me labe carens, quod genuisset ebur.

CCXXXVIII

distinctus Sapphyris.

GEmmarum fulgor, candori iunctus eburno,
Diuino Iesu, cùm tibi ventre nitet;

Quàm pretiosa tui, sint viscera cordis; & intùs
Gaza tibi quàm sit gemmea tota, probat.
Sapphyris collucet amor, qui me tibi Matrem,
Pignus ab æterno dulce, sacrumq; tulit.
Gemmeus iste parens, puro me debuit ortu,
Visceribus gemmam pro genuisse tuis.

CCXXXIX.

Vers. 15. *Crura illius, columnæ marmoreæ,*

INnixam Dilecte tibi, vis fecit amoris;
Vt tua, me pondus brachia dulce ferant.
Affluo deliciis, & langueo; sed tibi tota
Innitor; cuius Numine tota feror.
Marmoreis igitur solidissima crura columnis,
Fortiùs vt tua me gratia gestet, habet.
His mea, cùm fuerit conceptio nixa columnis,
Credet eam culpæ, quis titubasse gradu?

CCXL.

quæ sunt fundatæ, super bases aureas.

FIrmamenta mihi, solido quæ marmore ducta
Fecisti; validum sat benè robur habent;
Hæc tamen, auratis basibus fundare, quid vrges
Mi Iesu? fulcrum tu mihi grande nimis.
Vt constet, quanto sis in me robore nixa;
Quamq; omni culpæ suspicione vaces;
En mea, te puro dilectio fixit in auro;
Ortus ista tui est, aurea tota basis.

CCXLI.

Species eius vt Libani,

Monti-

MOntibus excelſis ſimilem te dicere Ieſu,
Quem ſtupeo, ſummus me iubet iſte decor;
Quo ſuper omne decus, diuinæ gratia formæ
In te præcellit, laude pariq; caret.
Si tibi Libani decor eſt, ſi Matris honorem
Diligis; atq; tuum, quo nitet illa, putas;
Libani ſpecies, quam terris cęlſior extat;
Sic ortus ſpecies, immaculata mei.

CCXLII.

electus vt Cedri.

VErtice Libani, Cedros vernare perennes
Nouimus. hîc illis dulce, placenſq; ſolum.
Tanti mons decoris, cedros elegit amicas;
Incorrupta locus germina pulcher amat.
Electus Cedro ſimilis, cùm floreat in te
Mi Ieſu; putrem nec ferat ille notam.
An culpæ vitio, fueram tibi putrida Mater?
An potiùs viuax, & ſine labe Cedrus?

CCXLIII.

Guttur illius ſuauiſsimum, *Verſ. 16.*

DVlcia quæ memoro, complecti neſcio Ieſu;
Immenſæ laudis copia, tanta tibi eſt.
Omnia membra licet ſuauiſsima; gutturis in te
Sed tamen eſt dulcor maximus, atq; ſapor.
Pectore quæ veniunt, oracula dulcia promit
Guttur; & hinc ſuauis vox in amore ſonat.
Vox mihi, vox fuerat ſuauiſsima gutturis huius;
Quæ dixit Matrem; me ſine labe tuam.

CCXLIV.

& totus desiderabilis:

AMpliùs haud de te, pulcherrime dissero Iesu;
Formæ succumbunt omnia dicta tuæ.
Tu desideriis, & laudibus vndiq; nostris
Maior es; atq; vnum tu mihi delicium.
Omnia vis dicam? totus mihi dulcis, & in te
Est desiderii vis sita tota mei.
Sed dilecta tibi Mater, non tota placerem;
Si nolles, omni me caruisse notâ.

CCXLV.

talis est dilectus meus,

DIlecti speciem voluistis, & omnia dotum
Ornamenta; sed hæc nescia lingua loqui,
Immensam lucis faciem signauit in vmbra,
Nec nisi in extremo margine, fecit opus.
Qualis amor meus est, iam nostis, scilicet illi
Nullus in humanis, par decor esse potest:
Qualis ego, dilecta mei sim Mater amoris
Dicite? an ex cunctis vlla secunda mihi?

CCXLVI.

& ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.

QVod dilecte, mei te dicam, cordis amicum;
Cùm sis totus amor, totaq; vita mihi;
Pura Solymæi mirantur pectora cœtûs;
Te mihi dilectum dicere, nonne satis?
Non satis ô animæ! sed amici nomine Iesum,
Compellat, meus hic ingeniosus amor.

Puræ Matris honos, ex tanto conſtat amico;
Verus amicus enim dicitur, alter ego.

CCXLVII.

Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierū? Verſ. 17.

AVdiimus Virgo, tantæ præconia laudis;
Quæ tuus hic voluit fundere, dulcis amor.
Laudaſti pulchrum, mulier pulcherrima Sponſum;
Conceſſum tamen eſt, haud tibi poſſe frui.
Namq; abiit; ſed quò? tu noſti ſola; nec vlli
Arcanum patet, hic quale receſſus habet.
Cor Patris æterni petiit; ſed dulciter inde
Reſpicit in terris, cor ſine labe meum.

CCXLVIII.

quo declinauit Dilectus tuus?

ARcanum loqueris Virgo, de corde Paterno;
Ad quod mortali ſurgere corde, nefas.
Hæremus dubii, tot deſideria cùm nos
Excrucient; Sponſus cùm lateatq; tuus.
Quò declinauit petimus? non totus abiuit;
Dulciùs vt tandem prodeat, ille latet.
Quò magis exploret, qui Matris zelat honorem;
Declinaſſe meus fortè videtur amor.

CCXLIX.

& quæremus eum tecum.

TAm pulcher cùm ſit, nobis encomia cuius
Narraſti Virgo, Natus, amorq; tuus;
Mens exinde piis ſuccenſa caloribus ardet;
Immenſum quod amas, noſcat vt ipſa decus.

N 3 Imus

Imus, vt ardenti Iesum quæramus amore;
Sed sine te, Iesum quærere nemo potest.
Ergò quæremus tecum. Nam tu nisi sola,
Ad Iesum, nobis immaculata via es.

DIES SEXTA.

EX Capite Cantic: 6.

CCL.

Vers. 1. *Dilectus meus, descendit in hortum suum, ad areolam aromatum;*

SÆpè tuum Virgo, Sponsus descendit in hortũ,
Inuisens animi casta vireta tui.
Hìc illi volupè est, horas consumere dulces;
Hìc in deliciis, nescit habere modum;
Hunc tamẽ immensis, cùm sũptibus excolat hortũ;
Non plures in eo condidit areolas.
Scilicet vna in te, quæ vincit aromata cuncta,
Immaculata Deo, sufficit areola.

CCLI.

vt pascatur in hortis,

VNicus est in te Virgo, quem diligit hortus;
Quem tuus ex altò sæpè reuisit amor;
Pluribus ille tamen veluti pascatur in hortis,
Innuis arcano non penetranda tuo.
Florida Virginitas, & labis nescia virtus,
Horto cum voluit tota virere tuo;

Omni-

Omnibus ex hortis, in te transîsse videntur
Pascua, quæ pascant immaculata Deum.

CCLII.

& lilia colligat.

INter delicias hortorum, gratia veris,
Florum multiplices fundere sueuit opes;
Narcissos, violas, hiacynthos, sanguineisq;
Quæ toties candent, lilia mista rosis:
Lilia sola tamen, dilectus colligit ipse;
Carpitur Angelicâ, cætera turba manu.
Flos alios alius, delectat sed mea soli
Immaculata Deo, lilia sola placent.

CCLIII.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, *Verʃ. 2.*

COgitet humani nunc contemplatio cordis,
Dilecto quid ego, quid velit ille mihi.
Tanta voluntatum consensio, tantus amoris
Nexus, in immensùm cuncta creata latet.
Si capit haud quisquam, dilecto quid volo Mater?
Quis capiat, Matri quid velit ille suæ?
Me sine peccato conceptam velle Parentem,
Dilectum poterat quis prohibere meum?

CCLIV.

qui pascitur inter lilia.

SI cibus est Iesu purissimus, inter amœnas
Horti delicias, quo solet ille frui;
Si nihil ad gustum, candentia lilia præter
Elegit; qui flos omnia pura sapit;

An per-

An permisisset dilectæ lilia Matris;
In quibus Angelico pascitur ille cibo;
Vt prius impuro culpæ gustaret in ortu,
Ore Dei dignas, Styx inimica dapes?

CCLV.

Vers. 3. *Pulchra es amica mea,*

SÆpius hoc repeto, nec dicere sufficit vnquam;
Pulchra nimis, Virgo, sis quod amica mea.
Multa venustatis speciem præferre videntur;
Aspectu primo visaq; forte placent;
Hæc tamen immotis, si contemplemur ocellis;
Apparent labis conscia, pulchra minùs.
Te verè pulchram, maculæ non conscia Mater,
Quò magè contemplor, tu mihi pulchrior es.

CCLVI.

suauis, & decora sicut Hierusalem:

IEssæi princeps populi, terræq; voluptas,
Vrbs speciosa nimis, totaq; cara mihi,
Hierusalem fuerat suauissima visio pacis;
Dicere cùi similem, te mea Virgo, placet.
Pax non est, vbi culpa Deo contraria regnat;
Nullum peccatum visio pacis habet.
Vrbs mea si Virgo es, si suauis visio pacis?
Condita quidni sis, tota decora mihi?

CCLVII.

terribilis vt castrorum acies ordinata.

CAstra Dei Sabaoth, Goliam vicêre superbũ;
Maximus in puncto concidit ille Gygas.

Terri-

Terribilis Virgo, momento vicit in vno
Inferni Goliam, dum ſine fine tumet.
Quæ tamen hæc acies? caſtrorum quis fuit ordo?
Quando orta, in puncto vicerat illa Stygem;
Velle Dei æternum, caſtrorum maximus ordo,
Terribiliſq; acies Virginis iſta fuit.

CCLVIII.

Auerte oculos tuos à me, *Verſ. 4.*

VIm patior, quoties oculis me dulcibus vrges;
Intuituq; tuo, cor mihi Virgo rapis.
Ex quo concepta es, dilecto protinùs in me,
Fixiſti visûs lumina pura tui.
O auerte tuos potiùs mea Mater ocellos!
Nam meus hic, qui nunc corde liqueſcit amor,
His oculis tractus fuerat; dum corde Paterno,
In tua deſcendi viſcera, FACTVS HOMO.

CCLIX.

Quia ipſi me auolare fecerunt.

O Radii dulces! ô cordis mille ſagittæ!
Ex oculis in me quas iaculatur amor;
Iam ceſſate precor, iam tela auertite veſtra;
Hæc ſint tela mihi quàm violenta, ſcio.
Rurſus amoris ego veloces induo pennas;
Vt tota rurſus cum Deitate volem,
Ad te Virgo Parens; quoniam puriſsimus olim,
Hic tuus, ala mihi maxima, viſus erat.

CCLX.

Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

QVis decor hic capitis? quæ tãtæ gratia formæ?
De grege caprarum, Virginis estne coma?
De Galaad capræ veniunt; abiectio tota
Venit, vbi summi fulget honoris apex.
Grex peccatorum, quamuis abiectio tota,
Caprarumq; licet sit malèsana cohors;
Hos amat, hos gestat purissima Virgo capillos;
Hoc decus ex illis, hoc diadema putat.

CCLXI.

Vers. 5. *Dentes tui, sicut grex ouium,*

DEntibus innocuis, ouium grex candidus in te
Respondet Virgo, puraq; purus amat
Non morsu violenta tuo; sed mitis, amansq;
Pacis eras, Agni candida Mater ouis.
Omnia mansueti superas dulcedine cordis;
In te sed dentes visa acuisse suos,
Styx impura, truci nunquam te dente momordit;
Quandò Deus Matrem protegit, Agnus ouem.

CCLXII.

quæ ascenderunt de lauacro,

GRex ouium lotus, vitreis qui pura fluentis
Vellera fert, maculis libera facta suis,
Electæ surgunt animæ; quas sanguine Iesu
Lotas, innocuum gratia fecit opus.
Ex hoc ascendunt pretiosi fonte lauacri
Post te; quò primùm tu sine labe præis.
Sic ascendentes ad cæli pascua, Virgo
Tu ducis, niueos Immaculata greges.

CCLXIII.

CCLXIII.

omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

GRatia quas sacro mundauit sanguine Iesu,
Fecundus bino germine reddit oues.
Non sunt hîc steriles, vbi zelus regnat amoris;
Hic amor est geminus; proximi, amorq; Dei.
Fœtibus ast omnes quamuis præstare gemellis
Dicantur; prima non sine labe tamen;
At sine peccato, tu quamuis germine in vno,
Exsuperas omnes Immaculata tuo.

CCLXIV.

sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ. Vers. 6.

HÎc vbi Virginei sedes augusta pudoris,
In roseis animæ cernitur esse genis,
Aurati resident cur Punica mala coloris?
Cortice non dulci, dulcia clausa latent.
Aureus ille Deo, dulcis, sapidissimus ille est;
Dum figit puris, oscula pura genis.
Styx impura procul. peccato semper amarus
Aureus hic cortex, oscula nulla dedit.

CCLXV.

absque occultis tuis.

ÆStimat humano quisquis cælestia sensu,
Hic maris immensas, in scrobe cōdit aquas.
Quantula pars orbi, Diuinæ panditur auræ!
Quantas hæc tenebras, lucis abyssus habet!
Vel de te sola, Mater purissima Iesu,
Æternus quamuis ipse loquatur amor;

Omnia perfectæ referens encomia laudis,
Censet in occultis, plura latere tuis.

CCLXVI.

sexaginta sunt Reginæ,

Vers. 7. DIgna coronato Regis thalamoq;, thronóq;,
Sexaginta vocat nomina, Diuus amor.
Hoc numero claudit, numero, scituq; carentes
Dilectas animas, quæ placuêre sibi.
Reginas tanti solij, sponsasq; Tonantis,
O quanta integritas! gratia quanta decet!
Sponsa, Parensq; Dei, Reginas anteit omnes,
Omnibus est maius, quo nitet illa, decus.

CCLXVII.

& Octuaginta concubinæ,

AD thalamos, gustusq; suos, & dulcia Sponsi
Gaudia, quas animas segregat ipse Deus;
Dulce cubile tenent, in sponsi corde, sed istud
Secretum paucis, & sine labe patet.
Octoginta thoro vix dignæ cordis; & istæ
Non sunt absq; nota criminis, ante Deum.
Immaculata Parens, & coniunctissima sponsa,
Hoc, sine labe, Dei sola cubile tenet.

CCLXVIII.

& adolescentularum non est numerus.

VIrginei decoris teneræ, dulcesq; puellæ,
Innocuæ mentes, quæ placuêre Deo.
Cælestem niueis, quamuis tot millibus Agnum
Circumstent; numerum non habeantq; paré;

In tot delicijs, & in ipso nectare amoris
Non sunt securæ, cur? quia labe scatent.
Tam numerosa cohors, à Virgine vincitur vna;
Quæ fuit ante ortus, Immaculata suos.

CCLXIX.

Vna est columba mea, Vers. 8.

TOt sunt Reginæ, tot Sponsæ, millia totq;
Virginei cœtus, quæ placuêre mihi;
Purior omnibus his, & carior est mihi, dulces
Inter tot sponsas, vna columba mea.
Electæ quamuis, tamen hêu venêre columbæ,
In laqueos primæ, quâ cecidêre, notæ.
Casſibus ex Stygijs, sed præseruata triumphat,
Peccati victrix, vna columba mea.

CCLXX.

Perfecta mea.

REs imperfectas, Opifex si condere summus
Non poterat; cuius dextera fecit opus.
Quod stupet, & totus quod non intelligit orbis;
Cur perfecta Dei, nonnisi sola Parens?
Ex quocunq; malum defectu nascitur; inde
Res imperfectas, culpa vel vna facit.
Sed perfecta, bono Diuinæ Matris in ortu,
Omni labe carens, integra causa fuit.

CCLXXI.

Vna est Matris suæ,

MAter inexhausto quam fecundissima partu,
Diuorum sobolem gratia progenuit;

Censeri numero nescit; nil purius illâ,
Mentibus electis vberiusq; nihil.
Si Diuina Parens, agnouerat hanc quoq; matrem?
Vna suæ Matris, quomodo nata fuit?
Gratia in humanis, genuit nil Virgine maius;
Hæc Matri proles, sufficit vna suæ.

CCLXXII.

Electa genitrici suæ:

MIrus amor Matrũ, cùm multa prole redũdet;
Diligit haud illam cordis amore pari.
Viscera sunt eadem, quæ produxêre; sed idem
Non est, ex vno viscere Matris amor.
Gratia te Virgo, genitrix elegerat vnam;
Iungeret affectu quam potiore sibi.
Vnde tibi pretium, in tanto genitricis amore?
Hoc pretium, virtus immaculata dedit.

CCLXXIII.

Viderunt eam filiæ,

PVlchra mouẽt oculos passim, cerniq; merẽtur;
Omnis in hoc speculo, gaudia visus habet.
Te contemplari, te Virgo cernere; dulce
Est oculis; sed quos visio pura decet.
Cælestes in te quod figant lumina Sponsæ;
Forma animæ mouet has, immaculata tuæ.
Hinc & post Christum, præter te, visio pacis,
Pulchrius haud quidquã, quod videatur, habet.

CCLXXIV.

& beatissimam prædicauerunt.

VNa creatarum, Virgo, pulcherrima rerum,
In qua, post Christum cernitur omne decus,
Maximus hoc de Te consensus prædicat orbis;
Præter te solam, quæ sine labe nites;
Nil verè purum, nihil omni parte beatum
Esse; Deo quidquid viuit in orbe minùs.
Omni sed macula culpæ, nisi sola vacares;
Nec tu, præ cunctis, sola beata fores.

CCLXXV.

Reginæ, & Concubinæ, & laudauerunt eam.

AD Regis Regum consortia, quotquot amicæ
Venerunt animæ, pectora grata Deo;
Omne coronati capitis decus, omneq; fulgur,
Ad plantas Virgo deposuêre tuas;
In laudesq; tuas præconia cuncta dedêre;
Maxima laus soli, debita nempe tibi.
Quæ culpam nescit, laudari tota meretur;
Hæc est laus, ortus immaculata tui.

CCLXXVI.

Quæ est ista, quæ progreditur. *Vers. 9.*

ORbis in eximio Diuinæ Virginis ortu
Quid stupet? humano nascitur illa modo.
Si par nascendi series; si viscere matris
Funditur vt cuncti; quid petit iste stupor?
Progreditur quamuis de viscere matris in orbem;
Sed sine primæuo crimine progreditur.
Inconcessum alijs, nasci sine labe parentum;
Hoc est arcanum, quod stupor iste petit.

CCLXXVII.

CCLXXVII.

quasi aurora consurgens,

SI luctaris adhuc, dubios sensusq; fatigas?
Ortus Virginei dum meditaris opus;
En mentis tenebras, surgens aurora serenat;
Lucis ab hac stella, dulcis origo venit.
Quis culpæ latebras, & tristia noctis opacæ
Nubila, surgenti cogitet esse die.
Lucifugis aurora poli, cêu distat ab vmbris;
Virgine sic minùs est, quidquid in orbe nitet.

CCLXXVIII.

pulchra vt luna,

CYnthia dum plenum radiis fulgentibus orbē
Explicat, vmbrosæ noctis opaca fugat.
Limpidus est illi fons luminis, aurea lampas
Cælorum Phœbus; cuius ab ore nitet.
Pulchra venustatis species in Virginis ortu;
Quæ spargit nitidum, lucis in auge iubar;
Solis ab immensi facie cum venerit; annon
Hæc illam species, immaculata decet?

CCLXXIX.

electa vt Sol,

FVlgentes radios, vt sol communicet Orbi
Electus, fontem luminis ipse tenet.
Virginis electæ decus est, velut aurea lampas
Solis, inexhausti luminis ore nitens.
Si Deus elegit solem, qui vinceret omne
Sidereum, atq; simul qui daret omne iubar.

Electæ

Electæ Matri cur non concesſit? vt illa
Lucis in exortu, fons ſine labe foret.

CCLXXX.

terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

NVnc micat auroræ ſimilis, nunc æmula lunæ;
Nunc ſolis faciem, Virgo vt ametur, habet.
Nunc acie terret caſtrorum, totaque Martem
Armiſonum ſpirat, ſæuaque bella ciet.
Illis lux Virgo eſt, illis cor dulce ſerenat,
Ortum propugnant, qui ſine labe ſuum.
Terribili hos acie, caſtriſq; minacibus vrget;
Quos torquet vano, tam bona cauſa metu.

CCLXXXI.

Deſcendi in hortum meum, *Ve. ſ. 10.*

IMmenſæ pelagus dulcedinis, o bone Ieſu!
Æterni linquens, deliciaſque Patris,
Heu qualem, terræ ſterilis deſcendis in hortum!
Hîc vbi nux, ſolidum dura putamen habet.
Verbera nux poſcit pro! quantis ictibus in te
Fregerat hanc duram, paſsio, morſq; nucem.
Nucleus ex illa, vel ſolus, ſat tibi dulcis;
Libera peccati cortice, Mater erat.

CCLXXXII.

vt viderem poma conuallium,

INfelix pomum, quod delectabile viſu,
Humano generi toxica prima dedit.
Elatas habuit frondes in corde ſuperbo;
Ex quibus hêu crimen, morſq; pependit atrox!

Diuinis oculis dignissima poma videri,
Hortus Virgineus poma salutis habet.
Cur placuêre Deo? nimirum, quæ tulit illa
Mens humilis, fuerat vallis amœna Deo.

CCLXXXIII.

& inspicerem, si floruißet vinea,

AD dulces gustus, & multea vina, creasti
Tot vites Iesu, germina totque tibi.
Hoc plantauit opus tua gratia; floridus ex qua
Totus ijs decor est, totus ijsque sapor.
Tu tamen addubitans, an floreat hic decor omnis
Inspicis. in multis nam tibi flos cecidit.
Sola tibi Mater purissima, flore perenni;
Hæc sine labe tibi, vinea sola viret.

CCLXXXIV.

& germinassent mala punica.

AVreus est Diuinus amor, qui germine casto
Metibus innocuis, aurea mala parit.
Hos animæ fructus, mi Iesu, sæpè requiris;
Spem tamen hæc fallunt germina, sæpè tuam.
Labes peccati fructum corrupit amoris;
Aurea cùm tulerit mala, venena dedit.
Nescia sed culpæ, perfecti Mater amoris,
Ex auro fructum te Deitatis habet.

CCLXXXV.

Vers. 11. *Nesciui,*

PEccati genitrix fœdissima, praua voluntas,
In culpæ cecidit noxia tela sciens.

Man-

Mandatum tranſgreſſa Dei non neſcia, ſcire
Pluſq; volens, tumidum morte piauit opus.
Non nimiùm o vtinam ſapere, & neſcire liceret!
Peccati, miſeros quod mala ſcire docet.
Neſciui culpam, non eſt qui dicat in orbe;
Hoc ego neſciui, dicere ſola queo.

CCLXXXVI.

anima mea conturbauit me;

PAx animæ ſanctæ, turbari neſcia curis,
Vitæ ſecuros efficit illa dies.
Tu coniuncta Deo turbaris Virgo! quid iſtud?
Pax animæ Deus eſt, dulcis amorq; tuæ.
Quod non turbentur, qui peccant, hinc ego turbor;
Atque vt pæniteant, anxia tota gemo.
Sic mea me pietas, & vis conturbat amoris;
Aſt interna mihi, ſtat ſine labe quies.

CCLXXXVII.

propter quadrigas Aminadab.

PAcificam mentem, celeres turbâſſe quadrigas,
Diſcimus arcani dogmate Virgo tui.
Dicitur Aminadab populus ſpontaneus, an quod,
Curſu præcipiti in crimina, ſponte ruat?
Diuinæ legi, tumidâ ſed mente reſiſtit?
Hinc zelans animas, me meus vrget amor.
Has mea præcipites in culpam nempè quadrigas,
Siſtere ſola poteſt immaculata manus.

CCLXXXVIII.

Reuertere, reuertere Sulamitis, *Verſ. 12*

TErrarum quod te non ſint cõnſortia digna ;
Hinc abis è terris, hoſpes amica polo.
Sulamitis noſtra es, caro noſtra es. Virgo memẽto
Cauſa reuertendi, quod tibi multa ſubeſt.
Ad iuſtas animas, Diuina reuertere Virgo ;
Iuſtitiæ ſpeculum, tu ſine labe nites.
Ad peccatores Diuina reuertere Virgo ;
Nullus peccator, te ſine ſaluus erit.

CCLXXXIX.

Reuertere, reuertere;

SI tua nos pietas, ſi dulcia viſcera Matris,
Si tuus offenſo corde relinquat amor ;
Spes abiit tecum, & fiducia tota ſalutis,
O Virgo noſtræ firma columna ſpei !
Vt labem tollas, intacta reuertere Virgo ;
Annon pro nobis, tu ſine labe nites?
Vt generes vitam, fecunda reuertere Mater ;
Annon pro nobis, viſcera matris habes?

CCXC.

vt intueamur te.

SI toties petimus, Diuina reuertere Virgo,
Deſine tam longas nectere Virgo moras.
Hæc deſiderijs eſt omnibus vna voluptas ;
Hæc ſitis eſt oculis maxima, cernere te.
Abſorbet maculas orbis, tua ſumma venuſtas ;
Sola Deique oculis, queîs videare, places.
Humano, quis non ſitiat, te cernere viſu?
Diuinos oculos, ſi tua forma rapit.

DIES

DIES SEPTIMA,
Ex Cap: Cantic: Septimo.

CCXCI.

Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorũ? Vers. 1.

AD mentem quæsita tuam, suauissime Iesu,
Inclyta pacifico nomine Sulamitis,
Cogitat hâud pacem; sed Marte negotia toto
Bellica, & armisonos cogitat illa choros.
Castra vides; sed bella ciens non cernitur hostis;
Marte ex aduerso, qui sua castra locet.
Impurum contra primæui criminis hostem,
Militat in castris, pura Virago suis.

CCXCII.

Quàm pulchri sunt gressus tui,

SEmita iustorum pulchra est; quæ ducit euntes
Ad metam vitæ; non titubante gradu.
Impia peccantûm vestigia polluit eheu!
Incedens scelerum tramite, fœdus amor.
Gressus Virgo tuos, pulcherrima semita duxit,
Virtutum niueo, iustitiæq; gradu.
Iuisti, ad summum Diuinæ Matris honorem;
Quàm pulchri gressus, quàm sine labe tui.

CCXCIII.

in calceamentis,

IMpuris pedibus, pretiosa monilia luxus
Intulit, atq; auri pondera, turpe nefas.

Calceat hêu gemmis Graios, Latiosq́; cothurnos;
Iulia vel soccos, vel Cleopatra tuos.
O fugite hos gēmæ! fugite aurea pondera soccos!
Non decet hic, scelerū pessima monstra, nitor.
Virgineis pedibus gemmæ debentur, & aurum;
Calceat hos, virtus immaculata pedes.

CCXCIV.

Filia Principis!

SVmptibus augustis constat, quo regia proles
Ornatur; qualem regia cuncta decent.
Orbis in hac totus gazarum mole laborat;
Filia, quam collo, Principis vna ferat.
Hæc tamen, ornatu quæ gemmas hausit, & aurū;
Peccati serua est, mancipiumq́; sui.
O potius decor hic, te Regia Virgo coronet!
Nam verè magni, filia Principis es.

CCXCV.

Iuncturæ femorum tuorum, sicut monilia;

DVm tua, dilectum me formosissima sponsū,
Interni decoris gratia, sæpè rapit;
Ipse meum contēplor opus; nec dulce, quod ex te
Solamen capio, dissimulare licet.
Dum femora intueor; pretiosa monilia quis non,
Iuncturas femoris dixerit esse tui?
Viscera iuncturæ femorum pretiosa tulêre;
Quorum ego, Diuinum nonne monile fui?

CCXCV.

quæ fabricata sunt manu artificis.

Ex au-

EX authore ſuo, pretium, laudemq; monile,
Conſequitur; quoties nobile ſurgit opus.
Gemmarum ſeries, & obrizo fulgor in auro,
Pulchrior, à docta cernitur eſſe manu.
Iuncturis femorum diſtincta monilia caſtis,
Si quæris Virgo? quàm pretioſa feras.
Reſpice in authorem; pretiū, laudemq; merentur
Ex me; nempe Dei ſunt fabricata manu.

CCXCVII.

Vmbilicus tuus crater tornatilis, *Verſ. 2.*

VIrginei claudens puriſsima viſcera cordis
Centrum, ſi cupias noſcere quod ſit? amor.
Illius hîc ſedes, Sponſi dulciſque receſſus;
Guſtibus hîc animæ, delicijſque locus.
Hîc eſt Diuini crater tornatus amoris;
Formauit manibus, quem Deus ipſe ſuis.
Virgo, Dei crater cùm ſis puriſsimus; ex te
Pollutis nequiit, culpa bibiſſe labris.

CCXCVIII.

nunquam indigens poculis.

AMbroſiæ plenus crater tornatilis in te,
Qui Chriſto in terris muſtea vina dedit,
Eſt vteri, Virgo, ſacrum conclaue pudici,
Nectaris humani pocula nulla ferens.
Mortiferos culpæ, qui guſtauêre ſapores;
Diuino guſtu, quod meruêre, carent.
Hoc ego tota fruor. nam pleno fonte reclūſit
Diuinos guſtus, gratia plena mihi.

CCXCIX.

CCXCIX.

Venter tuus, ſicut aceruus tritici,

ANgelici panis, myſteria quando ſtupenda
Cogito; mox animum tu mihi Virgo ſubis.
Triticeo hoc Sacramentum velamine conſtat;
Quo Chriſti Deitas, ſacra Caroq; latet.
Annon hæc eadem myſteria, fecerat in te?
In tua, qui venit viſcera pura, Deus.
Angelicum panem, tuus ergò quando ferebat,
Verè triticeus venter Aceruus erat.

CCC.

vallatus liliis.

O Niuei flores! o puræ lilia mentis!
O vteri, Virgo, caſta vireta tui!
Quidni delicijs hîc affluat omnibus! atque
In te Diuinus, dulcè moretur amor!
Viſcera ſi tua, ſunt puriſsima lilia; tantum
Circumuallârunt quæ Deitatis opus.
Floribus his fuerat, ſacer hic vallatus aceruus;
Dum tua vallârunt lilia, carne Deum.

CCCI.

Verſ. 3. *Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ,*

INnocuum, Virgo, cùm tu lactaueris agnum,
Vbera Virginei, qui tua lactis amat;
Quid tibi cum capreis? ouis es mitiſsima; per quã
Agnus hic, humanæ vellera carnis habet.

Hinnu-

Hinnulus iste tuus, certum est; ast vnde gemelli
Sunt capreæ? quibus hæc vbera lacte scatent.
Vt tibi peccator fieret, velut hinnulus alter;
Vbera propter eum, lac capreæq; geris.

CCCII.

Collum tuum, sicut turris eburnea, *Vers. 4.*

VNdiq; te, Virgo, candoris symbola poscunt,
Lilia nunc florent, nunc tibi candet, ebur.
Innocuo turris respondet eburnea collo;
Quo tuus, è terris sidera tangit apex.
Hæc contra Stygium moles turrita furorem,
Vinceret vt maculas, candida tota stetit.
Styx non præualuit, nam puro vicit in ortu,
Conceptûs labem turris eburna tui.

CCCIII.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon,

LAudaui puros toties, mea Mater ocellos,
In te; sed laudum millia rursus habes.
Fontibus hos vitreis, niueis similesq; columbis,
Crystalloq; pares dicere, suasit amor.
Piscinas Hesebon mihi nunc præferre videris;
In quibus è vitreis fontibus, vnda salit.
Retia sint procul hinc peccati. nam Deus ipse
His in piscinis, rete salutis habet.

CCCIV.

quæ sunt in porta filiæ multitudinis:

FIlia multorum culpa est. peccauimus omnes;
Ex nobis soboles hæc, inimica Deo.

Quà data porta ruunt, ſemel in contraria lapſi;
In præceps fertur mens ſemel acta malis.
Hâc ſtetit in porta, tecum piſcina ſalutis;
Multorum per te, nam bene tuta ſalus.
Piſcatura hominum non eſt felicior vlla;
Piſcator Deus eſt, rete Maria Dei.

CCCV.

Naſus tuus, ſicut turris Libani;

NAſus odorati ſedes dulcoris, & index,
Thuris delicias ſuaueolentis amat.
Impuri denſas refugit ſpiraminis auras;
Balſama ſi ſpires, balſama grata capit.
Contra fœtores culpæ, puriſsima Virgo,
Fecit odoratûs mœnia tuta ſui.
Naſus ei turris Libani, longiùs arcet,
Virtutum, dulci quidquid odore, caret.

CCCVI.

quæ reſpicit contra Damaſcum.

ADuerſus maculas culpæ, & fœtentis Auerni,
Dulcia Libani balſama turris amans.
Reſpicit ex alto, quò ſe famoſa Damaſci
Mœnia protendunt, vrbſq; decora nitet.
Sanguinis eſt ſuccus, de nomine clara Damaſcus;
Turris eam arcano, reſpicit ergo ſuo.
Nobiliore modo, fuerit cùm Virgo redempta;
Diuini ſuccus, Sanguinis illa fuit.

CCCVII.

Verſ. 5. *Caput tuum vt Carmelus:*

Vicin-

VIcinus pelago pulcher Carmelus, vt alto
Vertice, fluctiuagi despicit ima maris;
Sic Regale Caput Diuinæ Virginis, inter
Electos, alto culmine summa petit.
Si caput est vitæ conceptio? Virginis hæc est
Gloria, quod capite hoc vicerit omne decus.
Æquora Carmelus sublimi despicit axe;
Peccati superat sola Maria mare.

CCCVIII.

& comæ capitis tui, sicut purpura regis,

AVgusti capitis vertex, quod fulgeat ostro,
Non mirum Virgo; Regius hic color est.
Imperium non sola tibi pretiosa corona;
Nec ius sceptorum, nec thronus ipse notat;
Purpureas Regina comas, sed vertice toto,
Pro maiestatis conditione geris.
Quis decor hic animã, quæ gratia purpurat intus?
Purpureæ capitis, si tibi Virgo comæ.

CCCIX.

vincta canalibus.

SI Regale decus, quo tu Regina coruscas,
Purpureusq; color, quærimus vnde tibi?
Ad Regis Regum, pretiosos ire canales
Fas sit; in his, Virgo, purpura tincta tua est.
Ex plagis Christi, prima es tu purpura Regis;
Inde tibi rosei sanguinis iste color.
Ante tuum, fueras his vincta canalibus ortum;
Vt culpæ nunquam compede vincta fores.

Verſ. 6 *Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima,*

O Quoties pulchram! quoties te Virgo decorã
Effuſo cordis viſcere, dicit amor!
Rem mihi dilectam, volupè eſt geminare; nec vllus
Temperat affectum, verba capitq; modus.
Te decus electum, mea gratia fecit, amorq;
Quo, poſt me, voluit pulchrius eſſe nihil.
Omni momento fueras puriſsima, quidni
Omni momento, ſis quoq; chara mihi?

CCCXI.

in deliciis?

HÎc tandem ceſſet, ſileat, planèq; fatiſcat,
Omne, quod orbis habet, cor ſimul oſq; ſimul;
Quànta voluptatum tibi ſit, quàm dulcis abyſſus!
In me Virgo Parens, ſi memorare velit.
Si mihi deliciæ, puris in cordibus; annon,
Has ad delicias, tu mihi prima venis?
Immenſum quiddam meruit dulcedinis, in te
Purus, qui ſuperat cuncta creata, decor.

CCCXII.

Verſ 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ.*

FRondibus à terra ſursùm in faſtigia ductis,
Palma, triumphorum gloria prima viret;
Celſiùs aſſurgens, quò pondera fortiùs vrgent,
Staturam decoris promouet illa ſui.
Te ſuperaſſe decus, Virgo, quodcunq; creatum,
Iſta triumphalis, quàm benè palma docet?

Labe carens ortus, partus ſine labe pudoris;
Hæc eſt ſtaturæ, maxima palma tuæ.

CCCXIII.

& vbera tua botris.

INfantem lactâſſe Deum, quæ gloria Matris?
Quantus honos! quo tu Regia Virgo nites.
Æterni Patris, Verbum dulcore relicto,
Puſio Virgineis pendet ab vberibus.
Quàm purus decor hic! quàm labis neſcius! à quo
Fit ſummè purus, pendulus ipſe Deus.
Exceſſum tanti nemo miretur amoris;
Cùm ſit Virgineis, ebrius ille botris.

CCCXIV.

Dixi, aſcendam in palmam, *Verſ. 8.*

DVm mortale genus, victori ceſsit Auerno,
Inductum vapidis, ad mala prima dolis;
Indolui; palmamq; Stygi ceſsiſſe ſuperbam,
Dum meus, haud potuit zelus, amorq; pati;
In crucis aſcendam dixi, ſacra victima palmam;
Hîc ſuperata mihi culpaq;, Styxque cadet.
Aſcendi, vici. primæ ſic neſcia culpæ
Virgo, triumphorum eſt palma ſuprema mihi.

CCCXV.

& apprehendam fructus eius:

SI mihi Crux palma eſt; dulces vbi carpere fruct^9,
In Cruce tam dira, ſupplicijſque licet?
Vulnera mille patent, hæret trux lancea cordi;
Transfixum lacerat ſpinea ſylua caput.

His ego non moueor, dulcescunt omnia pro te;
Vt fias Mater, prima redempta mihi.
Tu Crucis ex palma fructus dulcissimus; in quo
Peccati maculæ, nullus amaror erat.

CCCXVI.

& erunt vbera tua, sicut botri vineæ.

VVlnera si cruciant, si toto corpore fixus
Me dolor exanimat, cordeq; vulnus hiat;
Tam graue torcular, si guttas sanguinis omnes
Exprimit? vnde meis dulcia vina botris?
Vinea sanguinis est, mea passio; sed mihi dulcis;
Dum primâ Matrem vindico labe meam.
Vulnera quæ patior, non sentio. nam tua, Mater
Sunt mihi, sunt dulces, vbera casta, botri.

CCCXVII.

& odor oris tui, sicut malorum.

NOxia, dum vetiti, gustauit fercula mali
Eua parens, olidis mox grauat ora cibis.
Fœtet odor culpæ, fugit heu innoxia vitæ,
Gratia, conspectum non patiturq; Dei.
Oris, Virgo, tui sed rursum gratia fragrat,
Inuitans Sponsi basia pura sui.
Os labe infectum, malo fœtebat amaro,
Os sine labe tuum, dulcia mala sapit.

CCCXVIII.

Vers. 9: *Guttur tuum, sicut vinum optimum,*

QVod sobolem totam, mortali labe peremit,
Insipidum guttur, pessima vina bibit.

Non

Nō erat hoc, Phlegetō quod finxit, dulce falernum?
Plena venenato crimine, vappa fuit.
Optima vina tibi fuerant seruata Parenti;
Nam fuerat cordis, vas sine labe tuum.
Hinc ego de cælis, ad te purissima veni,
Gutturis hîc sitiens, optima vina tui.

CCCXIX.

dignum dilecto meo, ad potandum,

MAssica quæruntur, quæruntur Cretica vina,
Atq; vua quidquid de potiore scatet;
Magnificis Regum mensis, vt potio digna
Condiat insigni fercula digna mero.
Potio digna Deo dum quæritur; vndiq; potum
Insipidum, culpæ fœda labrusca dedit.
Sola meæ vitis, sine tactu criminis vua,
Dilecto fuerat, potio digna meo.

CCCXX.

labiisq;, & dentibus illius ad ruminandum.

RVminet vt dulces, labiis, & dentibus escas
Dilectus; sapidis gustibus hoc agitur.
Dulcia sed vini, quis pocula ruminat? omnis
In Sponsi quandò viscera, dulcor abit.
Hæc vini dulcedo tui, castiq; pudoris
Vim tantam, puro germine gustus habet;
Vt mirè sitiens Sponsus tua pocula, vinum
Dentibus, & labiis ruminet ille tuum.

CCCXXI.

Ego dilecto meo, *Vers. 10.*

Quærit

QVærit amor, quis ſit? qui toto corde requirat,
Maxima dilectum poſt benefacta Deum.
Cordis enim, debetur ei conuerſio tota;
Qui totum nobis ſe dedit, abſque modo.
Cor nemo potuit totum conuertere; cuius
Non minimam partem, cũ Styge culpa tenet;
Aſt ego, ſola dedi, felici Mater in ortu,
Dilecto, totum cor ſine labe, meo.

CCCXXII.

& ad me conuerſio eius.

VT Nato decreta meo, fuit iſta voluntas,
Carne ſub humana viuere, ſicque mori;
Mox decreta meo Mater puriſsima Nato,
Primæui culpam criminis ante, ſteti.
Illius hinc ad me conuerſio tota; ſemelque
Viſa, Deo placui ſemper amica meo.
Tota animæ, puncto nam quo formabar, ad illum
Conuerſa eſt facies immaculata meæ.

CCCXXIII.

Verſ. 11. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum,*

ARcani conclaue, diu te ſeruat amoris,
Deliciæq; Patris, te ſine fine tenent.
Mi dilecte veni; ſuprema palatia linque,
In terræ iam nunc egrediamur agrum.
Omnia peccati ſed acutis horrida ſpinis,
Plantas, iure times, pungere velle tuas.
Mi dilecte veni. meus, in quo dulcè moreris,
Ecce carens ſpinis, immaculatus ager.

CCCXXIV.

CCCXXIV.

commoremur in villis.

DIligis vrbanos cœtus dilecte, tot ante
Sæcula, Diuinis ſedibus vſque manens.
Rus etiam placeat, gratæque ſilentia villæ;
Hîc quoq; iucundas, fac tibi Sponſe moras.
Tot tibi ſunt emptæ, pretioſo ſanguine villæ;
Tot bona, tam caro ſanguine parta, vide.
Tot villas emi. ſed tu ſine crimine Virgo,
Empta es delicijs, vnica villa meis.

CCCXXV.

Mane ſurgamus ad vineas, Verſ 12.

DOrmis mi Ieſu; ſed amanti corde paterno,
Te dulcis ſomnus, grata quieſque tenet.
Iam dulces ſomnos, & mollia ſtrata relinque;
Surgamus primò mane aliquando, decet.
Non ignauus amor tuus eſt; ſurrexit ab omni
Sæculo, in electæ Matris honore vigil.
Dum tibi plantabar puriſsima vinea, cunctas
Ante creaturas, hoc tibi mane fuit.

CCCXXVI.

videamus, ſi floruit vinea,

MAtutinus amor, ſi dulcia ſomnia rumpit;
Huc oculos vertas, Sponſe, neceſſe tuos;
Vt videas mecum, ſi floruit omne; quod ipſe
Plantaſti; ſi ſpes dulcibus inde botris.
Spes tua, mi Ieſu, ſed non reſpondit in omni
Palmite; nam culpâ non caruêre ſuâ.

Flos meus, æternùm puro de germine vernat;
Hæc oculis digna est, vinea sola tuis.

CCCXXVII.

si flores fructus parturiunt,

VItibus electis, pulcherrima germina Sponse;
Tot dederas, culpâ sed cecidêre graui.
Flos animæ primus, tribuit quem gratia prima;
Quàm pulcher totus, quàm sine labe fuit!
Sed non parturiit, quem vellet gratia fructum;
Nam mortem genuit culpa, odiumque Dei.
Te fructum vitæ, te puri germen amoris,
Parturiunt flores, sed sine labe mei.

CCCXXVIII.

si floruerint mala punica:

NOn dubita Iesu, num floreat aureus ille
Flos in me, qualem Punica mala ferunt.
Floreo. nam vitale decus, mihi purus in ortu,
Non extinguendo flamine, fudit amor.
Ad tactum culpæ, vitæ flos concidit omnis
Mali infelicis, quod mala prima tulit.
Arbor ego vitæ, peccato nescia tangi,
Quæ semper carpas, aurea mala dabó.

CCCXXIX.

ibi dabo tibi vbera mea,

PAlmite botrifero, vernans vbi vinea floret;
Pingit vbi radians, aurea mala color;
Florida Virginitas mea, te dulcissime Iesu,
Huc inuitatum, poscere sola cupit,

Deliciis locus eſt, vbi gratia floruit omnis;
Atque omni potuit labe carere decor.
Hîc tibi Virginei, dabo, ſugas vbera lactis;
Flos vbi delicias immaculatus habet.

CCCXXX.

Mandragoræ dederunt odorem, *Verſ. 13.*

VT uenias Ieſu; caſti ſine labe pudoris,
Tot tibi dulcis odor, cinnama grata parat.
Tota tibi florum, zephyros fragrantia lenes
Halat; & omne calet iam thymiama tibi.
Mandragoræ gratum ſpirant te propter odorem;
Qualis ſerpentum toxica ſæua fugat.
Hic me defendit Stygii ſerpentis ab ictu,
Ex anima ſpirans immaculatus odor.

CCCXXXI.

in portis noſtris omnia poma.

NIl ſine te Ieſu fecundum, te ſine pulchrum
Nil; tecum decus eſt omne, penuque ſacrum.
In vitæ porta, funeſtæ noxia mortis,
Poma homini, ſine te, culpaq; Styxq; tulit.
Porta meæ vitæ tecum fuit. inde ſalutis
Poma mihi, virtus immaculata dedit.
Mors alibi regnet. tecum puriſsima vitæ
In portis noſtris, omnia poma virent.

CCCXXXII.

Noua, & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.

VT veteres virtutis opes, & munera prima;
Omnia ſeruaui ſic noua, Sponſe tibi.

Hoc vetus est; primæ labis non conscius ortus;
Exortu quali prodiit Eua Parens.
Hoc nouum; inoffenso materni flore pudoris,
Virgineo Natum viscere ferre Deum.
Conseruata meo felici germine, & ortu,
Vers. 13. Sunt noua, sunt vetera hæc, omnia Sponse tibi.

DIES OCTAVA,
Ex Cap: Cantic: Octauo;
CCCXXXIII.

Vers. 1. *Quis mihi det te fratrem meum,*

EXclamas Virgo, votis ingentibus ardes,
Dilectoq; cupis vt potiare tuo.
Sæpè Deum, Sponsumq;, tuû Natumq; vocabas;
Nunc etiam fratrem quæris, auesq; tuum.
Quod poscis, dabit hoc generis dilectio nostri;
Ecce Deus, tecum vincula carnis habet.
Incarnatus amor, tibi frater. quis neget ergò?
Quod tanti fratris, sis sine labe Soror.

CCCXXXIV.

Sugentem vbera Matris meæ;

VBera sugentem quæris purissima Natum,
Vbera ceu Matris, suxerit ille tuæ.
Te Matrem, Natumq; tuum, quis credat ijsdem
Vberibus pastum? quod tamen implet amor.
Natus ab æterno, quod suxit nectare plenum,
In Deitate illi, cor Patris vber erat;

Quod

Quod tu sugebas, æterni filia Patris,
Nonne tibi fuerat, cor Patris vber idem?

CCCXXXV.

vt inueniam te foris,

INtus es, ô Iesu! frueris dum corde Paterno;
Immensaq; lates in Deitate Deus.
Hîc tibi inaccessæ posuisti lucis abyssum;
Hîc sedem, sed non inueniendus habes.
Arcanum iam solue tuum, quid Nate moraris?
Vt videam te fac, inueniamq; foris.
De me sumpta caro, visendum te mihi præbet;
Intus es immenso Numine, carne foris.

CCCXXXVI.

& deosculer te,

OScula, dum cupio, tibi figere dulcia Iesu,
Matris cur differs, oscula pura tuæ?
Si Deitas immensa negat? substantia carnis,
Non neget; hanc ex me sumere dum placuit.
Quàm peto, plùs tribuis; Deitatis, & oscula carnis;
Hoc vtrumq; dares vt mihi, FACTVS HOMO es.
Osculer ergò foris te dulciter, osculer intus;
Delicijsque fruar Mater vtrinq; meis.

CCCXXXVII.

& iam me, nemo despiciat?

HÆc est immensi dignatio numinis in me,
Quod Natum voluit me genuisse suum.
Hæc Incarnati Verbi, celsissima cum sit
Maiestas; inde est par mihi nullus honor.

Iam me deſpiciat nemo, cui figere ſoli
Matris iure datum eſt, oſcula pura Deo.
Et tamen à macula, qui me non ſoluit in ortu;
Hêu ſolus, Matrem deſpicit ille Dei.

CCCXXXVIII.

Verſ. 2. *Apprehendam te,*

E St fera, quæ rapidis fugiens velocior Euris,
Non renuit ſola Virginitate capi.
Omnia cùm ſuperet venabula; vincitur vno,
Quem decorat virtus inuiolata ſinu.
Si fugis ô Ieſu! ſinus en puriſsimus hic eſt;
In quo, Virginitas te mea ſola capit.
Eripiat mihi te licet haud effabile Numen;
Apprendet Ieſu, te mea pura caro.

CCCXXXIX.

& ducam in domum Matris meæ:

L Ongiùs exiuit placari neſcia, Ieſu
Peccati vindex, numinis ira tui.
Labe profanatas æternùm reſpuis ædes;
Communes habeas cum Stуge, tune lares?
Hoſpite digna Deo, ſed te mea gratia Mater
Poſcit; vt vltrices temperet illa minas.
Huc ego te ducam. nam gratia condidit in me,
Hanc tibi, quam neſcit crimen, & ira domum.

CCCXL.

ibi me docebis,

S Preuerat æternæ legis mandata, rebellis
Eua, Stygis mallens impia iuſſa ſequi.

Sic

Sic labi didicit, meruit sic vindicis iræ
Fulmina; Doctorem cùm fugit illa Deum.
Tu mihi sis Iesu sapientia, tu mihi Doctor;
Fecit vbi cathedram, gratia pura tibi.
Si tibi cor cathedra est; ibi me dilecte docebis,
Præter te solum scire, & amare nihil.

CCCXLI.

& dabo tibi poculum, ex vino condito,

GRatia Doctori, vinique refectio dulcis
Debetur, quoties mystica verba docet.
Ille animam reficit, tu dulcia pocla negabis;
Fac sapiant illi pocula, verba tibi.
Dogmata si per te, Iesu, cælestia disco;
Cur tibi Doctori, dulcia vina negem?
Virginitas in me, quæ condiit vbera Matris;
Hæc condita tibi, dulcia vina dabit.

CCCXLII.

& mustum malorum granatorum meorum.

VIna tibi sapiunt; nec mustea pocula Iesu,
Sed non peccati felle timenda, fugis.
Musta venenato quondam plenissima succo,
Ex malis voluit ponere culpa tibi.
Odisti cyathos culpæ, sapidissima quæris
Musta; sed à malis non vitiata malis.
Credo tibi sapiunt, malorum musta meorum;
Namq; in eis virtus immaculata sapit.

CCCXLIII.

Laua eius sub capite meo, Vers: 3.

Princi-

PRincipio vitæ, quo nos conceptio format;
Omne hominum, culpa nutat in orbe caput.
Naſcimur hêu tremuli, declinamuſq; rebelles;
Quò nos, conſueto tramite noxa trahit.
Sed dum concipior, capiti ſuauiſsime Ieſu,
Viſus es ipſe manum ſuppoſuiſſe meo.
Non mea nutauit Conceptio. nam tua vitæ
Sub capite hoc, fuerat cordis amica manus.

CCCXLIV.

& dextera illius amplexabitur me.

ÆTerno, diuinus amor, me fœdere ſtrinxit;
Excepitq; ſuâ dulciter ipſe manu.
His in deliciis, hos Numinis inter amores,
Vita mihi dulcis, morſq; beata fuit.
Nunquam peccaui, Domini quod dexterà fecit;
Cuius in amplexus, culpa venire nequit.
Hoc amor æternùm meus amplexabitur in me;
Quod ſine labe, ſibi condidit ipſe decus.

CCCXLV.

Verſ. 4. *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam,*

SÆpè mihi Matrem turbatis, ſæpè quietem
Rumpitis ô animæ! quod graue cenſet amor.
In Deitate mea, ſomnus dulciſsimus illi;
Cogitur ad veſtras, ſed vigilare preces.
Nouimus ô Ieſu! nullius conſcia culpæ,
Quod ſecura tuo dormiat illa ſinu.

Dormiet

Dormiet æternùm sed nostræ cura salutis;
Mater cessabit, si vigilare tua.

CCCXLVI.

donec ipsa velit.

PRædulces somnos, tanti quis nolit amoris
Æternos fieri? si Deus ipse velit.
Ergo tuæ Matris, si tecum est vna voluntas;
Æternos somnos si volet ipsa, voles.
Cura igitur nostri coram te desinet; illam
Si dormire velis, donec & ipsa velit.
Spes bona sed tamen est nobis. nam tu bone Iesu,
Nos saluos fieri vis, quoad ipsa velit.

CCCXLVII.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? Vers. 5.

QVis stupor, attonitas suspēdit, hic vndiq; mētes?
Quæ vox ascensum, non capit ista tuum?
Virgo triumphali dum scandis in æthera plausu;
Tune ex deserto, tam speciosa venis?
O planè deserta tuo sunt omnia, Virgo
Discessu! nec habet terra, Deus quod amet.
Tu sine labe Deo placuisti. iure proinde
Cætera desertum, tu paradysus eras.

CCCXLVIII.

deliciis affluens,

Hìc vbi peccatum, iusti mœroris abundat
Infelix nimium causa, latexque mali;
Affluit in lachrymis occasio mille dolorum,
Et quidquid miserum, terrea vallis habet.

Hac veniens ex valle, Deo purissima Mater,
Deliciis animæ diffluis vndè tuæ?
Hîc vbi sunt aliis lachrymæ, pro labe reatûs;
Deliciæ fuerant hîc, sine labe mihi.

CCCXLIX.

innixa super dilectum suum?

RES hominum, primo scelerati criminis ortu,
O quàm! tota fuit cardine mota suo.
Fluxa fides, errans ratio, concussa voluntas,
Omniaque interitu procubuêre graui.
Tu steteras immota Deo, lapsusque parentum
Cardinibus nequiit, Virgo, nocere tuis.
Vitæ cardo tuæ, Conceptio pura triumphat;
Dilectus fuerat, nam tibi firma basis.

CCCL.

Sub arbore malo suscitaui te:

Ante venenatos fructus, quos protulit arbor,
Infelix, primæ fons, & origo notæ,
Tu fueras electa, tuo purissima Nato
Mater, & à culpæ Virgo remota malo.
Quomodò sub malo te suscitat arbore Natus?
Sub qua non fueras, dum cadit Eua Parens.
Sub qua, Iesus amor, me puro suscitat ortu;
Non malus culpæ, sed Crucis arbor erat.

CCCLI.

ibi corrupta est Mater tua,

MYstica res, latitansque suo non obuia sensu,
Corruptam matrem, dicere Virgo tuam.

Sub

Sub malo, corrupta fuit tua gratia Mater;
Dum sacra corrupit munera, primus homo.
Hîc cecidit flos ille boni, primæuaque virtus;
Cuius in exortu fons, Deus ipse fuit.
Sed virtute Crucis, per quam tu prima redēpta es,
Incorrupta tibi gratia, Virgo data est.

CCCLII.

ibi violata est genitrix tua.

SCimus quod genuit te Virgo, gratia mater;
Quæ fuerat genitrix immaculata tibi;
Sed quis eam, magno violatam dixerit ausu
Sub Cruce? quæ mundi vita, salusque fuit.
Hîc vim passa grauem, dū pro te Matre laborat;
Vulneribus dum te parturit illa suis.
Tot plagas inter, dum pendet in arbore Christus,
Gratia, in authore est, hîc violata suo.

CCCLIII.

Pone me vt signaculum, super cor tuum, *Vers. 6.*

PRimitiis hominū, dederat mea dextra creatrix,
Dona animæ, signo non violanda meo.
Maiestatis opus, rea criminis Eua resignans!
Cor mihi signatum, cor dedit illa Stygi!
Tu mea, non tantum Virgo signacula pone;
Sed cordis signum, me tibi pone Deum.
Tunè meo fueris bene cùmmunita sigillo?
Mater non fies immaculata mihi?

CCCLIV.

vt signaculum, super brachium tuum:

IN ſignum cordis, quoniam tua te mihi Ieſu,
Gratia Diuini cordis, amorq; dedit;
Accepto diploma ſacrum; ſecuraque culpæ
Per te mi Ieſu, iam tua Mater agam.
Quid tibi ſignato reddam pro corde viciſsim?
Brachia conſignes immaculata mihi.
Quæ te geſtârunt, conſigno brachia; pro me
Nam tua, mole Crucis brachia ſignat amor.

CCCLV.

quia fortis eſt, vt mors dilectio,

OMnia mors vincit, mors omnia diſsipat, aufert:
Omnia poſt cineres, ſoluit aduſq; nihil.
Mors animæ culpa eſt. fons eſt dilectio vitæ;
Peccatum mactat, gratia viuificat.
In me ſi fuerat ceû mors, dilectio fortis;
Primæuam, cur non, vincerit illa notam?
Vicit, & in tumulo culpæ, mortiſq; triumphans
In me, peccatum ſoluit aduſque nihil.

CCCLVI.

dura ſicut infernus æmulatio:

AD maculam vertit, quod ego ſine labe creaui,
Inuida Styx factis, æmula facta meis.
Omnia corrupiſſe putans, dum gaudet, ouatque;
Pro te, Virgo, meus quàm bene zelat amor!
Humano fuerat corrupto durus in ortu
Infernus; meritas ſed tulit ille vices.
Ardens inuidiâ fuerat ſibi durus Auernus;
Ortu cùm fuerant omnia pura meo.

CCCLVII.

CCCLVII.

lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

ORnatas mediis tulerint quod lãpadas vmbris,
Commendat Sponſus pectora caſta Deus.
Peruigil hoc egit dilectio; quæ tamen eheu
Tum dormitauit, crimine dùm cecidit.
Lampadas ornauit dilectio peruigil in me;
Sed non dormitans, ſed ſine labe nitens.
Quã vigil in maculam fuit hæc vis flãmea? nullũ
Momentum, quo non arſerit illa, fuit.

CCCLVIII.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, *verſ. 7.*

VT populi multi, ſic & peccata malorum,
Heu nimium multis æquiparantur aquis!
Turbidus eſt illis fons culpæ, copia vaſta,
Inque Erebi fundum cæca vorago ruens.
Omnibus his æterna mei dilectio maior,
Multas peccati quæ ſuperauit aquas.
Non extinctus amor meus eſt his fluctibus; in me
Omnia conſumens, nam Deus ignis erat.

CCCLIX.

nec flumina obruent illam:

INfans Nilaco Moſes in flumine mergi
Non potuit, placidis puſio vectus aquis.

Innocuas animi dotes, non obruit amnis;
In quo peccantûm naufraga turba perit.
Flumina quid metuam, si culpæ Nilus inundet;
Cor mihi securum est, quod sine labe natat.
Obruar hâud vndis peccati. nam mihi Iesus
Fons meus, his vndis non fluit, igne fluit.

CCCLX.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione,

MAgnanimi cordis res est dilectio; nil tam
Æstimat, ardenti pectore quam quod amat.
Nulla domûs tanta est substantia, nulla facultas;
Dilecto non det, quam generosus amor.
Totius sed nulla Deo substantia cordis
Cessit, vbi cordis portio culpa fuit.
Tota mei cordis substantia cessit amanti,
Corque Deo purum, pura hominique caro.

CCCLXI.

quasi nihil despiciet eam.

NOn est grata Deo substantia cordis iniqui;
Nec sacer impuro corde paratur amor.
Si dederis cor tale Deo, quo poscis amari;
Despectum meritò, ceu nihil illud erit.
Non despecta mei substantia cordis, amari
Affectu puro quæsiit, & meruit.
Peccatum nihil est, quod amor despexit; at in me
Hoc procul excluiit, gratia plena nihil.

CCCLXII.

CCCLXII.

Soror nostra parua,

EX hominum serie, post Christum, prima fuisti *Vers: 8.*
Tu præuisa Deo, quem genuisse datum est.
Ortus præcessêre tui tot secula Virgo,
Maxima tu natu, quomodò parua soror?
En tamen hoc loquitur Trias Augustissima de te;
Non habet ætatem, paruula nostra soror.
Gratia tanta tibi puri candoris; vt infans,
Parua sororque velut, tu videâre Deo.

CCCLXIII.

& vbera non habet:

LActe tuo, Diuina Parens, suauissimus infans
Nutritus fuerat, dulcis amorq; tuus;
Vbera quæ sugat, tibi nunc materna deesse
Cur queritur? cùm sint vbera plena tibi.
Non est hæc Iesu querimonia; sed tua laus est;
Quod sis tam felix, tam sine labe Parens;
Vbera non hominum cêu iam videaris habere;
Vbera de cælo cum data, Virgo, geras.

CCCLXIV.

quid faciemus sorori nostræ?

O Immensa Dei bonitas! ô Virginis ille
Quem nemo potuit dicere, mirus amor!
Omnia cùm dederit, rursum deliberat; ac si
Nil penitùs Matri, fecerit ille suæ.
Magna sibi fecisse Deum canit ipsa, probatque;
De magnis rursum cogitat ille tamen.

Tam dilecta Sacræ Triadi es, purissima Virgo;
Vt de te semper, quid faciamus? agat.

CCCLXV.

quando in die alloquenda est?

QVid faciat, Diuinus amor, dum consulit ipse;
Alloquii gratam cogitat ille diem.
Expectare diem quid opus? purissima semper
Alloquiis cum sit Virgo parata Dei.
Expectata dies fuerat, quæ Fiat amicum
Protulit. hâc de te Virgine, dixit amor:
Non potes esse Deus, cum sis ô Virgo creata;
Quid faciam? poteris sed genuisse Deum.

CCCLXVI.

Vers: 9. *Si murus est,*

QVid dubitat cælestis amor? murusne sit illa
Herois, poterat quæ superasse Stygem.
Initabat mundo furialis machina culpæ;
Quæ mortale hominum sterneret omne genus;
Virgo triumphatrix sed in ortu, vt vinceret Orcũ;
Cinxit eam firmis mœnibus, ipse Deus.
Murus ei, solidum robur virtutis ab alto;
Labi non poterat, quæ sine labe stetit.

CCCLXVII.

ædificemus super eum propugnacula argentea:

NOn renuit dulces operas, tuus optime Iesu,
Munimentorum Virginis author amor.
Si murus Virgo est; his propugnacula cur non
Mœnibus inuictis, ædificemus ait?

Excubi-

Excubias vbi candor agit purissimus; ô quam
Munimenta illi sint pretiosa, decet!
Robora mox surgunt, argenti ducta metallo;
Aureus hîc murus, nam Deitatis erat.

CCCLXVIII.

si ostium est,

HOc opus est, immẽsa Trias, quod fecit amoris
Dextra tui; de quo maxima cura tibi.
Nunc quærit, quod fecit opus, mirabile amoris
Inter delicias Virginis, ingenium.
Hæc Incarnati purissima ianua Verbi,
Per quam de cælo vita, salusque data est.
Si te, Virgo, suum voluit Deus ostium habere;
Num Diuina patent, ostia pura Stygi?

CCCLXIX.

compingamus illud tabulis cedrinis.

OStium ab æterno cum conclusisset, vt in te
Magnus Virgo opifex ædificaret amor;
Consilio Sacræ Triados, molimen id vrgens;
Vt tantæ, exactum surgeret artis opus;
Compingamus, ait, tabulis te Virgo cedrinis;
Vt soli pateas, ianua pura Deo.
Tam benè compactas, in te purissima Virgo
Soluere num poterat culpaque, morsq; cedros?

CCCLXX.

Ego murus, Vers. 10.

HOc non diffitear, quod coram iudice toto
Orbe, mihi volupè est dicere, murus ego.

Siue meos ortus conſidero labe carentes;
Non expugnatus crimine, murus ego.
Cogito Virginei ſeu Mater germina partus;
Ex me progenito numine, murus ego.
Sêu mihi deuotas video, quas protego mentes;
Iuſtis, atque malis, vndique murus ego.

CCCLXXI.

& vbera mea, ſicut turris,

VBera, quæ tibi ſunt dulci manantia lacte;
Quas belli turres, vbera pacis habent?
Vt reprimant hoſtes, turritas ſurgere moles
Nouimus; at dulcis pax tibi, Virgo placet.
Quod mea delegit, quæ ſugeret vbera Ieſus;
Hoc in me culpam terruit, atque Stygem.
Sic defenſa fui, Diuinæ Matris honore;
Sic turres fuerant, vbera caſta mihi.

CCCLXXII.

ex quo facta ſum corã eo, quaſi pacẽ reperiens.

MVrum te Virgo, tua turres vbera dicis;
Rurſum te pacem compoſuiſſe, canis.
Pax ſimul, arma ſimul tecum. ſi facta repertrix
Pacis es? armatis turribus ecquid opus?
An quod labe carens ex quo concepta es, ab inde
Repperiens pacem tu quaſi, bella cies?
Pax tibi. ſed nobis pro te, maculaque carenti
Sunt pro conceptu, dulcia bella tuo.

CCCLXXIII.

Verſ. 11. *vinea fuit pacifico in ea,*

Tot

TOt iam delicias, tot dulcia gaudia Sponsi
Audiimus tecum, tot variata modis;
Pacifico tandem suauissima vinea Sponso
Diceris. & tuus hîc symbola claudit amor.
Scilicet hæc laudum vis est, & summa tuarum;
Pacifici Iesu, vinea quod fueris.
Pax sine peccato est. in te quoque vinea pacis,
Pax sine peccato, pax sine lite fuit.

CCCLXXIV.

quæ habet populos:

PAcifici cùm sis pulcherrima vinea Iesu,
Deliciis eius nonnisi sola pates.
Accessus sed cur populis, conceditur in te?
Arcanos gustus si Deitatis habes?
Hæc est, Virgo, tui pietas dulcissima cordis;
Quod sis vna licet, vinea pura Dei;
Omnibus vt pateas, ad nectar dulce salutis;
Ad te tot populos, vinea sancta voces.

CCCLXXV.

tradidit eam custodibus,

QVid vigilas inferne? tuo quid culpa reatu
Instas? hîc vbi stat vinea pura Dei.
Tradidit inuictis Deus hanc custodibus; vt nil
Ex his decerpat culpaque, morsque botris.
Custodes quæris? quibus hæc purissima cessit
Vinea, ab exortu non violata suo.
Seraphini in cælis; in terris Ordo Minorum,
Illius est custos quàm benè Seraphicus?

vir affert pro fructu, eius mille argenteos.

PRotulit immensi pretij, quem vinea fructum;
Est Deus, ex pura Virgine, FACTVS HOMO.
Mille quis argenti? quis pondera cogitet auri?
Et quotquot gazas, terra, polusque gerit:
Germinis immensi pretium, Deitatis abyssus,
Vnica quod nouit, ponere sola potest.
Virginis hinc etiam, quem vinea pura meretur,
Ex tanto fructu, noscitur iste valor.

CCCLXXVII.

Vinea mea, coram me est.

Vers. 12. DVm collata mihi, recolo tua munera Iesu;
Expendoque tuus, quæ mihi fecit amor;
Hæc recolens, vt amore tui mens tota liquescat;
Immensi pretii, tot benefacta iubent.
Æternùm quàm dulce reuoluere! quomodò per te
Plantata est animæ, vinea pura meæ.
Hæc mea, coram me, cur non sit vinea semper?
Cuius semper honos immaculatus erit.

CCCLXXVIII.

Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

CVstodita tibi, quoniam sum vinea Iesu;
Diuinum vt possem, te genuisse botrum;
Quid meruêre sacri custodes? quos habet ex te
Vinea Conceptus immaculata mei.

His,

His, quibus est commissa meæ Conceptio vitæ;
Vt defendatur vinea pura mihi;
Pro te Matre mea zelantibus, ipse beatæ
Pacis ero merces, Rex ego pacificus.

CCCLXXIX.

Quæ habitas in hortis, *Vers. 13.*

NOn alibi, Virgo, quã quærere suadet in hortis,
Te meus, hortorum gloria dulcis amor.
Delicias habitare tuas hîc nouit; & ipsam
Dulciùs hâud alio, te scit adesse loco.
Incolis ergo hortos, vbi flos sine labe pudoris;
Gratiaque est ortûs immaculata tui.
Hîc habitas, his quæro tuus te Sponsus in hortis;
Hîc ego deliciæ sum tibi, tuque mihi.

CCCLXXX.

amici auscultant:

QVid de te dicam, quid mecũ Virgo loquaris,
Verba mei, atque oris dulcia verba tui,
Auscultant qui me, qui te venerantur amici;
Quorum pro nostro, zelus honore calet.
His tua, labe carens Conceptio pandit amicis
Arcanum; culpæ quod negat illa reis.
Hêi mihi, qui cecini mysteria tanta scelestus!
Ausibus ô Iesu, spes mea parce meis.

CCCLXXXI.

fac me audire vocem tuam.

IAm toties audita Deo, iam vocibus illi
Inter delicias, mille locuta tuas,

Audiri rursum Virgô deposceris ! o quàm
Aures Diuinas, vox tua non satiat !
Interpres cordis, quæ non consenserat vnquam,
Peccato, sola est vox tua grata Deo.
Fac audire tuam me vocem, sæpiùs inquit;
Semper enim vox est immaculata tibi.

CCCLXXXII.

Fuge dilecte mi,

CVm non sustineam tot gaudia, cùm mihi toto
Victus deliciis, corde liquescat amor;
Mi dilecte fuge. immensum est, quod sentio de te;
Obruar hêu dulci nectare ! ni fugias.
Tune ais vt fugiam ! quæ coniunctissima mecum,
Vnus es, ô Virgo, Spiritus, vna caro.
Si mihi causa fugæ, peccati maxima labes;
In te causa fugæ, non fuit ista meæ.

CCCLXXXIII.

& aßimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum,

DVm fugis, vt redeas cupio dilecte; quod optãt
Tot cerui mecum, tot capreæque tuæ.
Sunt cerui, capreæq; tuæ ; quibus addidit alas
Vt fugerent ; noxæ, iudiciique timor.
A te, mi Iesu, si fecit culpa fugaces;
Vt redeant, culpæ nescia Virgo precor.
Spem veniæ præbens peccantibus, hinnule Iesu,
Ceruis, & capreis assimilare tuis.

CCCLXXXIV.

super montes aromatum.

Hîc

Hîc vbi Virginei ſpiratis aromata montes,
Dulcia concludit Cantica, Sanctus amor.
Debuit hæc finire ſacros fragrantia cantus;
Ortûs, quam ſpirat, gratia Virgo tui.
Sic cecini de te. tu ſi quid aromate dignum
Hîc fuerit, totum me tibi ferre puta.
Si quid olet maculam, tuus omnia ſuauia reddat,
Montibus æthereis, immaculatus odor.

Cedat ad æternam Dei Omnipotentis gloriam, & Deiparæ Virginis, ſine macula Originali Conceptæ honorem.

OCTO BEATITVDINES, SS. IOACHIM, & ANNÆ, Virginis Deiparæ, ſine macula Originali Conceptæ, Beatiſſimorum Parentum.

I.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.

ANna Parés, Ioachimq; Deo gratiſsima corda;
Queîs licuit Matrem progenuiſſe Dei,

Paupe-

Pauperiem coluere sacram; de Sanguine Regum
Clara, vetusque licet stirps vtriusque foret.
Ast ô quàm fuerant hâc paupertate beati!
Dum rerum terræ sunt ab amore procul,
Regni cælorum possessio traditur illis;
Nempè Dei Mater Nata, Deusque Nepos.

II.

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

EXpectare, Dei quæ sit perfecta voluntas,
Longanimi sensu, cor nisi mite potest.
Coniugii sterilis tractus, dum tædia profert;
Dum nullos partus, viscera clausa ferunt;
Vicenis annis, mitissima corda Parentum
Virginis, expectant nonnisi velle Dei.
Possedit terram, cor in illis mite beatam;
Terra Dei Mater, fructus eis Deus est.

III.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

FElices lachrymæ, quibus est solamen in ipso
Fonte voluptatis, lætitiæque Deo.
His maduêre diu, tristes sine prole Parentes
Virginis; hêu cecidit tam pia gutta diu!
Lugentes tulerint solatia quanta requiris?
In lachrymis fuerat spes quibus vna, Deus;
Gutta cadens oculis, dulcedinis en mare gignit;
Immensum gignit quando Maria Deum.

IV.

Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Qvæ

QVæ cõiuncta Deo mens est, & sancta volūtas;
Esurit illa Dei iustitiam, atque sitit.
Ista fames, sitis ista Deo gratissima; solo
Vitæ fonte Deo sistitur, atq; cibo.
Esuriêre diù, te Natam Virgo Parentes;
Iustitiæ solem cûi genuisse datum est.
Angelico, Saturata fames hæc pane quieuit;
Hæc sitis, est vitæ fonte refecta Deo.

V.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

COmpatiens animos miseris, hoc ritè meretur;
Vt Deus ex altò compatiatur ei.
Has bonitas immensa vices vt reddat; amari
Vult in eis, quos hìc sors inimica premit.
Virginis erga inopes dulcissima corda Parentum,
Dum nunquam miseris, viscera clausa gerunt;
Has meruêre vices. vt Natam viscere ferrent;
Cuius erant, soli viscera aperta Deo.

VI.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deū videbūt.

VIrginei fuerint quàm mundo corde Parentes,
Ipsorum Soboles Immaculata probat.
Hãc decuit concham, tàm mundam nempe fuisse;
Gemma, Dei Mater, quàm pretiosa fuit.
Mundities cordis, labem non sustinet vllam,
In solo figens lumina pura Deo.

Ergo Deum in cælis, hæc lumina pura Nepotem;
Munditiæ cordis, quam coluêre, vident.

VII.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

GRatia pacificis hæc est promissa; quod ipsi
Patre Deo dici, germina digna forent.
Pax inter steriles sed rarò visa maritos;
Infecundus habet iurgia nempe thorus.
Virgineis fuerat pax alta Parentibus, etsi
Nulla diu fuerint, pignora cara thori.
Pacifici thalami sed quam fecêre beatos!
Ecce Nepos illis, filius ipse Dei.

VIII.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

CRux sua persequitur iustos; séperq; necesse est
Innocua iustum pro pietate pati.
Non aliter veniunt palmæ, meritiq; coronæ;
Ni virtus habeat, quam ferat ipsa crucem.
Virginis, Anna diu steriles, Ioachimq; Parentes,
Hanc, pro iustitia, quando tulêre crucem;
In terris etiam cælestia regna tulêre;
Prole sua Natum, cum meruêre Deum.

OCTO

OCTO PRIVILEGIA,

quæ Rex Salomon olim, Templo à se Hierosolymis magnificentissimè extructo, & dedicato, *oratione, quæ habetur 3. Reg: Cap: 8. concedi à Deo petiit;*

insigne festum Immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ V. quod dedicationem eius in Domum Domini recolit, deuotè celebrantibus

ACCOMODATA.

I.

Si peccauerit homo in proximum suum, tu exaudies in cælo.

SCinditur in nobis toties, fraternaque cordis
 Sæpius offensus vincula rumpit amor.
Mutua iuramus seruandæ fœdera pacis;
 Rumpimus hæc rursum; proximus indè gemit.
Alma domus pacis, componit iurgia culpæ;
 Nil cum dissidiis, Mater amoris habet.
Proximus vt vero tibi sit dilectus amore,
 Quam colis, efficiet proxima Virgo Deo.

II.

Si fugerit populus tuus Israel, inimicos suos &c. exaudi in cælo.

PAx homini non est, qui toto militat æuo;
 Vita quoad nobis, belligeremus opus.

Sed fugimus paſsim ex acie, ſeròq; dolemus,
Conſtantem pugnæ non tenuiſſe gradum.
Non ſinis Immaculata tuos ô Virgo clientes,
Ex acie maculam turpis habere fugæ.
Non es mota gradu, puro dum vincis in ortu;
Seruos ergo doces vincere, non fugere.

III.

ſi clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, da pluuiam ſuper terrã tuã.

CLauſerat Helias cælum, ne roridus imber
In terram plueret, dum ſitit illa diu;
Humanæ referens nubes veſtigia plantæ,
Oſtia rorantis fecit aperta poli.
Vt pluat è cælo, ſitiens ſi terra requirat;
Si crimen populi, ſidera clauſa tenet;
Quæ reſerans cælos, pluerent vt ſidera iuſtum
Fecerat; hæc nubes immaculata pluet.

IV.

ſi fames oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta.

DIra fames, corruptus àér, grandoq; locuſtæ,
Et quæcunq; homini vis inimica nocet;
Ictibus extremis, & fulmine vindicis iræ,
Si populos vrget, ſic ſtatuente Deo.
In templum Domini, maculam quod neſciit vllã
Tu fuge; non alibi ſit tibi certa ſalus.

Peſti-

Pestifer afflatus non est, nec regnat Erinnijs,
Hìc, vbi peccati maxima pestis abest.

V.

Si quis cognouerit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cælo.

LEthalis mucro peccati, sæpè cruentat,
Intima, sæpe graui vulnere, corda petit.
Cordis hiat vulnus; sed non dignoscitur intùs;
Tantus nempe stupor, pectora sæpe tenet.
Quæ plagam cordis, Virgo, non sentiit vllam,
Cùm dederit purum, cor sine labe Deo;
Sola potest cordis minimas dignoscere plagas.
Qui colis hanc, plagis quæ medeatur, habes.

VI.

Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo, cùm venerit, & orauerit in hoc loco; tu exaudies in cælo &c,

QVanta Domus Domini, quàm gloria Virginis ingẽs!
Quæ cordis pietas! quantaque abyssus ei!
Non seruos tantùm, carosque inuitat amicos;
Ipsa etiam inuitat corda aliena Deo.
Quid dubitas? Domus illa Dei est; fidẽter vt intres,
Ostia propter te, Matris aperta gerit.
Si colis hanc, ortus maculâ, culpâque carentem;
Sis licet in macula, non alienus ei es.

VII.

VII.

Si egressus fuerit populus tuus ad bellum, contra inimicos suos, orabunt te, contra viam ciuitatis, quam elegisti; & exaudies in cælo orationes eorum &c.

QVantula pars hominũ, toto discernitur orbe?
Quæ cultum veræ relligionis habet;
Barbarus immensa populus cùm mole tumescat,
Et latè pateat, gens inimica Cruci.
Christiadum sed parua manus, si vincere bello
Tot Stygis asseclas, castraq; tanta cupis?
Conceptam sine labe, Dei venerare Parentem;
Hostes, & Stygium conteret ipsa caput.

VIII.

Si peccauerint tibi, non est enim homo, qui non peccet, & iratus tradideris eos inimicis suis, & captiui ducti fuerint.


DVcimur hêu toties vincti, sed cõpede culpæ;
Hæc onerat nostros, prima catena pedes.
Seruos peccati, facilè est captiuet vt hostis;
Nostra, sub immani carcere, culpa gemit.
Non gemit in vinclis, qui culpa soluit ab omni,
Ortus Virgo Parens immaculata tuos.
Liberat à culpa, Conceptio nescia culpæ;
Vindice Matre Dei qui caret, ille gemit.

IN

IN
Firmamento Solij Diuini,
VIRGINE DEIPARA,
Deliciarum Immaculatæ Conceptionis eius
CORONIS.

exaudies in cælo, in firmamento Solij tui:
3. Reg: Cap: 8.

CAntica quæ cecini, dum ſacro carmine claudũt,
O Virgo laudes immaculata tuas!
Delicias animæ, quarum tibi maxima vis eſt,
Ad ſolium liceat depoſuiſſe tuum.
In firmamento Solij, quo ſumma poteſtas
Audit, & ad noſtras flectitur illa preces.
Tu firmamentum Solij, quo ſumma poteſtas
Firmauit Sceptri, maxima iura ſui.
Omnia nempe Dei Natus, quod traxerit ad ſe;
Hoc fecit, de Te Virgine ſumpta Caro.
Illa thronus Verbi, modico velamine carnis,
Robur ab immenſa quod Deitate tulit.
Si thronus es; carniſque tuo de ſanguine ſumptæ,
Tu firmamentum, ſi Deitatis habes;
Ex hoc ergo throno, fac ô puriſsima de Te,
Quos cecini cantus, audiat ipſe Deus.



Adiun-

Adiungere hîc placuit Bellaria Sacra,
DE SS. EUCHARISTIÆ
SACRAMENTO;
Vt inter delicias eius Virginis, dulciùs sapiant; cuius Sacratissimus, & purissimus vterus, vrna aurea fuerat, cæleste hoc manna continens; Panisq; Angelici, tota munda, ex auro mundissimo Arca.

I.

Caro mea, verè est cibus.

Ioann: 4. CVm vescor dapibus, longæuam ducere vitam,
Atq; triplex seclum, Nestor habere volo;
Me tamen in vita minui, & succumbere sensim,
Et tandem faciunt hæc alimenta mori.
Scilicet ad mortem carnali nutrior esca;
Viuo, sed vt moriar; pascor, vt intercam.
Nutrior ad vitam, sacræ per fercula mensæ;
Sola caro Christi, maxima vita mihi.
Hic verè cibus est, quo me dulcissime IESV
Pascis; vt in cælis me sine fine cibes.

II.

Sanguis meus, vere est potus.

VInea tota mihi, plenos dulcore racemos,
Et totis sudat mustea vina botris.
Iam totus madeo, iam victima cædua Baccho
Labor, & illecebris obruor ipse meis.

Hicci-

Hiccine vitalis pōtus? num pōtio mortis?
An viuam? mortis quando venena bibo.
Quid faciam vt viuam? non ſunt aconitha bibēda;
Eſt mihi ſed potiùs, tota bibenda ſalus.
Tota ſalus in te mi IESV; tum benè viuam,
Per te mi IESV, cùm benè potus ero.
Sanguine me potas, hic verè ſit mihi potus;
Æternùm qui me viuere poſse facit.

III.

Qui manducat meam Carnem, in me manet, & ego in illo.

IN te quod maneam, mi IESV, corpore quando
Nutrior, & potor ſanguine quando tuo;
Non miror, guttam pelagus quia ſorbet; abyſſo
Quod puluis minimus, quod lateatq; nihil.
In me, quod maneas ſtupeo, tu dulcis abyſſus;
Tu pelagus fundo, littoribuſque carens.
Quis capiat IESV, tantæ miracula cœnæ;
Si capit Oceanum gutta, Deumque nihil.

IV.

Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.

FIlius è cælis veni, ſed Filius ille;
Æternus genuit, quem ſine Matre Pater;
Cum Patre, progenuit qui me de lumine lumen,
Vna mihi Deitas, vnaque vita mihi.
Et tibi vita ego ſum, quoties te paſco me ipſo;
Vt viuas, ad me ſæpiùs ergo veni.

An dubitas? quod tu propter me viuere poſsis;
Propter te volui, ſi tua vita, mori.

V.

Ego ſum panis Viuus.

DIcite mortales, cur vos alimenta, cibique
Mortifera præſtant conditione premi?
Mors alitur, non vita cibis; cùm pane refectos
Hâud dubij cineres, buſtaque certa manent.
Mortuus ergo cibus, panis quem ſumitis ille eſt;
Qui facit in vobis, viuere mortis opus.
Panis ego viuus, venturæ non alo morti;
Quos alo; ſed vitæ ſpiritus, eſca mea eſt.
Viſceribus caſtis formatus Virginis Almæ,
Panis ego viuus. quis mihi piſtor? amor.

VI.

Qui de cælo deſcendi.

COnuiuas quoties lautiſsima fercula poſcunt,
Et ſapidos offert menſa parata cibos,
Panis ad appoſiti menſam deſcendere fas eſt
Conuiuas, quibus eſt gratia facta dapum.
Aſt ego mortales, vt vos dignarer amoris
Immenſi dono, pane meoque cibem;
Ipſe cibus veni, deſcendi cælitùs; ad ſe
Quis deſcendentem viderat ire cibum?
Et tamen hic etiam, raro quæ dulciter intret,
Ad vos deſcendens, viſcera panis habet.

VII.

Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt.

Nubi-

NVbibus ætherèis ſuauiſsima portio vitæ
Manna cadens, priſcis gentibus eſca fuit.
De cælo vixêre Patres, quibus æthere toto
Manna pluit gratos, abſque labore cibos.
Manna tamen cæleſte licet, mortalia terris,
Fercula cum menſis mox peritura dedit.
Cur cibus hic vitam non conſeruauit? & illo
Ieſsiadum paſti, cur cecidêre Patres?
Manna Dei, mortem non tollit; ſuſtulit illam
In Sacramento, manna, ſed ipſe Deus.

VIII.

Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.

AD manducandum quoties inuitat amantes,
Æternum ſpondet viuere IESVS amor.
Hoc epulas in carne ſuas, hoc ſanguinis ille,
Commendat paſsim dulcia pocla ſui.
Pollicitis ſtat ſola tuis, atque vnica vita
Mi IESV, quoties me tua menſa cibat.
An ſatis, & pluſquam ſatis. ecce ſub iſto
Pane, Deus tua ſum vita, quid vltra cupis?

IX.

Etiam catelli comedunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum &c. Matth: 26

DVra fames animã cruciat, vacuãq; relinquit;
Languet, & exhauſtis vix hiat illa labris,
Mille coronatas quantumuis fercula menſas,
Et plenas onerent, vina Falerna manus.

Corpore distento, buccisq; fluentibus eheu!
Quæ pascat mentem, mica nec vlla cadit.
Ne tamen esuriam, ne totus mente fatiscam,
Ne desint animæ, dulcia fercla meæ.
O amor! ô bonitas! es factus dulcis amice,
Pane sub Angelico, tu mihi mica Deus.

X.

Bibite, & inebriamini charissimi,

EBrietas vitium est, quo non deformius vllum,
Impuræ Veneris, ianua, scylla, focus.
Ridiculos, fatuos, contemptos reddit, & vltro
Insanos; nec habet cum ratione locum.
Mica verecundi superest ibi nulla pudoris,
Mens vbi per cyathos, ebria tota madet.
Ecce tamen cælestis amor, dum potat amantes;
Vt plena madeant ebrietate, iubet.
Ebrietas non est vitium, sed maxima virtus;
Stareq; cum sancta sobrietate potest;
Sub specie vini dum Christus inebriat, & se
Totus in effuso sanguine, fundit amor.
Quisquis es, ad mensam Christi conuiua vocatus;
Sobrius hîc vt sis, ebrius esto magis.

XI.

Ioann. 6. *Panem cæli dedit eis.*

IN terram pronas animas, & cælestium inanes,
Acri perstrinxit, Musa vetusta stylo.
Proh dolor! hoc priscis fuit intolerabile visum;
Si terram saperet nil nisi, totus homo.

Hoc

Hoc animæ tolerent, Christi præcepta secutæ?
Si illis dulcedo cælica, nulla sapit.
Vt sapiant tandem cælestia fercula vobis
O animæ! in panem se Deus ipse dedit.
Sed quibus hic panis, cælo demissus ab alto
Non sapit; his certè, nec Deus ipse sapit.

XII.

Panem Angelorum manducauit homo.

O Immensa Dei bonitas! amor ipse, stuporq; !
Quid dicam de te? gratia quanta tua est?
Commensalis homo, per te fit mentibus illis;
Omnigenæ culpæ, quæ caruêre notâ.
Angelus in cælo, quo viuit pane refectus?
Panis ei Deus est; hoc quoque viuit homo.
Plus dicam, quem tu manducas Angele panem;
Hunc manducat homo, quem Deus ipse cibat.
Panem hominis, sed non manducas Angele; nãq;
Solum hominem proprio corpore, Christus alit.

XIII.

Educas panem de terra,

AVdio mi IESV, toties te dulcè loquentem;
Quod sis de cælo panis, & esca mihi;
Audio sed rursum, de terræ germine quod sis
Eductus panis, quem meus ardet amor.
Hæreo, num cæli, num terræ panis haberi
Mi Iesu malis, dulcis vtrinque cibus.
Panis ego cæli, formatus corde Paterno,
Immensa semper cum Deitate fui:
Carne sed in terris, de casta Virgine sumptâ,
En panem terræ, me tibi fecit amor.

Hinc quod ad humanos, tibi me comunico gustus,
Debeo panis ego, dulcior esse tibi.

XIV.

Et vinum lætificet cor hominis.

QVæritur, vt recreet vinum, cor triste dolentũ;
Anxia mens, poscit lætior esse mero.
Hoc agit, hoc inter conuiuia dulcia quærit;
Creber vt exhilaret, cordis amara calix.
Luctus in extremis sed gaudia nostra, scyphosq;
Confundit; lachrymis tristeq; claudit opus.
Non vitis de corde sapor, nec vinea Cypri,
Cor hominis plenè lætificare potest;
Sed Christi mensæ vinum, quod cordis ab ipso
Fonte fluit; Christi sanguine quando fluit.
Cor hominis, cur non bibat omnia gaudia? quãdo
Pocula de Christi, dulcia corde bibit.

XV.

Vincenti dabo manna absconditum.

VT palàm certare decet, palmasque mereri;
Publica sic meriti præmia, ferre decet.
Si certare iubes, hostes si vincere IESV?
Hæc palàm fieri, fortia gesta decet.
Cur tamen his meritis, abscõdita præmia spõdes?
Vincentique paras, nonnisi manna latens.
Hîc cùm sit certantis adhuc? abscondita palma;
Dulce, sed arcanum sum tibi manna Deus.
Palma reuelabit, sed postquam certa triumphũ;
Ipse reuelatum, tum tibi manna dabo.

ORA-

ORACVLVM PARTHENIVM,

Auguſtiſſimæ Cœlorum Reginæ,

VIRGINIS DEIPARÆ,

abſq; maculâ originali conceptæ,

HONORI,

ex his Salutationis Angelicæ verbis,

Aue Maria, Gratiâ Plena, Dominus tecum,

Ab Eximio Viro,

IOANNE BAPTISTA AGNENSI,

Solâ vi mentis, ob defectum visûs,

centum puris Anagrammatis,

ex priori editione ſelectis,

deuotè pariter, ac ingeniosè,

REVELATUM;

& à

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,

In Almâ Vniuerſitate Cracouienſi Philoſophiæ Doctore, Collega Minore, Pöetaq; Ordinario, viſu ab annis octodecim orbato,

totidem Epigrammatum Centuriâ,

ILLUSTRATUM.

Anno à Partu Virginis Immaculatæ, 1668.

Et nunc 3tiò, Anno Domini 1684.

RECVSVM.

Auſpicatiſſimo, Puriſſimoque,

SIDERI OLORIS,

Literatum ex puris Iambis Votũ.

O Celle ſiderum, corona luminis,
Niuêi beata portioque ſæculi,
Olor canore, dulce nectar aurium,
Olor monile puritatis, & penu,
Viæque vena delicata lacteæ.
Ebur, niuemque pectorum, quis in *Tuo*,
Neget rediſſe fulgurante Symbolo?
Nouiſque priſca grandinare lilijs,
Sacræ dicata tempora innocentiæ;
Et vniuerſa fauſtitatis omina,
Fauonijs, Etheſiiſque dulcibus,
Polo, per Orbis ire vaſta cærula:
Medulla quando, corculumque totius
Benignitatis, ipſe candor, ipſa nix,
Latexque purus innocentis aluei,
Meroque lacte, nectaris meriſsimo
Pluenſque fonte, *Paſtor Orbis*, ac *Pater*,
Sacrum cacumen, Imperîque poſt Devm,

Vices

Vices in orbe ſummitate maximas
Tenet, regitque Gratijs fauentibus.
Perennis iſta, *Summe Pontifex Tibi*,
Cedriſque digna ſurgit inde gloria:
Quòd inuidenda poſteris, *Olor Tuus*,
Eburna, caſta, liliata, candida,
Probiſque ſ◌̂ecla deſtinata mentibus,
Togæque ſacra, Phocidoſque vitrei
Amica roris, Entheumque vatibus
Datura flamen, & fluenta muſtea;
Tot inter aurei dolenda temporis
Sepulchra, iamque putre mortui propè
Cadauer orbis, & feretra temporum,
Bono ſtupente publico reduxerit.
Sacro proinde Principis Petræ tholo,
Olor nitore fulgurans eburneo,
Perennè viuat! in Tuoque nomine,
Beatitate publicâ ſolum beet,
Salutis irrigetque nube roridâ;
Vocaris ipſe quando *Ros Soli Pius*,
Pij, probique *Roſpiloſe* pectoris,
Apex, Corona, *Cygne*, Gemma Præſulum.



BEATISSIMO PATRI, CLEMENTI IX. PONTIFICI MAXIMO.

ORaculum ex Abysso Sapientiæ, semel inter mortales, ore non mortali prolatum; in nouam rursus mysteriorum Abyssum, ex interuallo temporum, ausu planè non mortali recurrens; ad Te Sacrorum Principem, *primumque & summum in Orbe Christiano defertur Oraculum,* Beatissime Pater. *Internuntius ille cælorum Spiritus; cui arcanum Verbi, sub velamine carnis, ex immensâ Diuinitatis luce patuit; Oraculum hoc mente solâ conceptum, ita in oris signa, idiomaq; humanum transtulit; vt fontem in eo mysteriorum, consignaret. Sed venit in spiritu, qui sub velamine lucis, nouæ lucis absconditum resignans; in hoc grandi secreto, præter ineffabile Verbi incarnati mysterium; Virginem quoque Matrem sine labe Conceptam, mente sola concepit: tantò fecundior in virgine animo, quantò infecundæ*


Virgi-

Virginis laudibus ſanctior, puriorque; Sudum hoc lucis, in nube maximum; idem lynceum viſu, orbumque, ætatis noſtræ paradoxum; ſtupendo ingenij partu, pauculis in vocibus, ad miraculum vſque fecundum; nouo, terſiſsimi ſeculi magiſterio, ad ſacra literarum elementa, ſub ſacro adhuc Sanctitatis Tuæ *murice, prouocare non erubuit. quandò arcanum in literis ſenſum, noua mentium vi, propè ad ipſam mentium cæleſtium æmulationem, in ſacratiſsimo ænigmate reuelauit. Quidni verò domeſticus* Sanctitatis Tuæ, *totus in ſpiritum, mentemque abiret? nactus eum Principem; cuius animus, in Orbis animam, iam olim deſtinatus; quoſcunquè in conſortium, magnæque mentis intuitum recepit, Intelligentias fecit: adeò quidem efficaci, nouæ in magnis ingenijs ſpiraculo vitæ; vt vel hoc ſolo, vniuerſam orbis eruditionem, animari ſuffeciſſet. Tanta nimirum vel ex ipſo* Sanctitatis Tuæ *nomine, ſpei venerationiſque publicæ, iam olim aſſurrexerat amplitudo: vt auguſtum mentis* Tuæ *ſacrarium, non aliud iam publicè cenſeretur; niſi grande quoddam, verèquè purpuratum, intra, citraquè purpuram, virtutum, & ſapientiæ ſenaculum. Ac proindè gaudebat iam tum, bonorum ſuorum neſcius adhuc, præſagus tamen Or-*

bis Christianus; pectus illud Sanctitatis Tuæ, *vitalem summæ prudentiæ sedem, tanto agitari spiritu: contineriquè in eo, quidquid vspiam ingenio magnũ; quidquid in arduis, vastoque curarum circuitu implicatis, expeditum; quidquid profundo sensu, apparatuque sapientissimi consilij inexhaustum. ceû iam spiritus ille, Maiestatis futuræ conscius, vnum in locum capacissimi pectoris* Tui, *omnem Summi Regiminis congereret apparatum; ex quo vniuersæ rei Christianæ, tantò feliciùs imperaret. Sed venit iam tandem, in summam Sedem suam, expectata diù Vaticanæ Sedis felicitas: cumquè impleuerit vota, necdum vouentium sitit desideria: cùm vel hoc ipsum gaudium, quo ex* Sanctitatis Tuæ *summo in Orbe fastigio fruimur, solicitum sit; ne deductam ab aureo æuo Clementiam, morosâ inclementioris æui ferrugine desiniat; sed vt prorogatis animorum desiderijs inexhausta, exhauriat dulces in se affectuum impetus; placidamquè Orbi malaciam, diuturna spiret Clementia. Animorum hoc iudicium, ex Orbis facie, amabiliquè intuitu, in* Sanctitate Tua *defixo, facilè legitur; non tam attonitis in* Sidere Oloris, *magno bonæ spei obside; quàm liquescentibus potiùs.*

tius omnium animis; quod sacrum hoc Phænomenon, publicæ felicitati seruatum, ante spes omnes impleuerit; quàm in optimæ spei augurium venisset; commune illud quidem Orbis delicium, sed maximè literatum. Mira eius in eruditas mentes iam inde propensio; affectusque in Togatum hoc Consortium planè natiuus, & incomparabilis; vel tum etiam, cùm Oraculum hoc de Sanctitate Tua, *sub ænigmatis nube lateret. at nunc, secretum iam suum, in Vaticanæ lucis emblemate soluit; vt in secretissimas etiam, doctarum mentium incurrat pupillas, bonoque ingeniorum præsit maximo, inuincibilis propè necessitas est. Hoc illi ius in meam quoquè exterioris oculi nubem; quæ communis quidem mihi, cum Eximio Viro, Ioanne Baptista Agnensi; sed tersissimo mentis speculo, longè quàm dispar: cuius Diuinas in Salutationis Angelicæ vocibus, dèque illibato Conceptu Virgineo, mirè conceptas vices, dum sequor; ad vsquè sacra pedum* Sãctitatis Tuæ *oscula deductus, pusillum quiddam, in magno non hominis planè inuento, concino, lusitoquè. Seruant hæc fateor, quæ à me Virginis sine labe Conceptæ, honori dicantur, genium loci, & vmbram, ex quâ prodierunt: sed cũ*

lucem aliter, nisi grauiori turbæ immista, ferre non poßint; eo potißimum tempore, ad pedes Sanctitatis Tuæ *vnà mecum procumbunt: quo Inclyta Mater, & Altrix mea Vniuersitas Cracouiensis, pro decernendis, Eximio* SERVO DEI, IOANNI CANTIO *Tutelari suo, sacris honoribus,* Sanctitati Tuæ *supplicat; vt in publico tantæ Matris eloquio, infantia mea, cùm minus discernitur, veniæ quoquè tantò propior sit. Patieris ergo* Beatissimæ Pater, *Lilia hæc Virginea, in partibus nostris admirationi habita; ad sacras iterum, vnde prodierunt,* Rospiliosani Lilieti, *delicias redire; idque in seculi Tui gloriam, quod beatas iam in terris* Rosas, *feliciter germinauit: permittesque nouum, canori nominis in Orbe Polono* CANTII Sidus, *sub* Tuo sidere Oloris *nasci; cui hæc potißimùm, vt nouis Cælum* sideribus *numerosiùs augeat, peculiaris felicitas seruata est. Hoc â* Clementia Tuâ *haud dubiè poscimus, speramusque; quæ vt Orbi Christiano longæua sit; voto pro eâ publico,* Partheniam *hanc, Magnæ Virgini, offerimus Hecatomben.*



ORA-



ORACVLVM PARTHENIVM.

ANAGRAMMA I.

Pura; vnica ego sum, Mater alma Dei nati.

OMnia purus amor genuit, quæ cōdidit vnus;
Qui nequit esse vnus, sit nisi purus amor.
Vnicus est Patris, Lumen de Lumine, Natus;
Quem genuit terris, purus,& vnus amor.
Hinc ego condita sum maculâ procul *vnica, pura*,
Qualem formauit, purus,& vnus amor.
Sed formauit opus, curâ maiore, modoque:
Alma, Dei nati, sum quia *Mater ego.*

II.

Deipara inuenta sum, ergò immaculata.

LVx genuit lucem, candor purissimus ante
Secula: progenuit cùm Deus ipse Deum.
Sic genitū decus omne decet, sine labeque gigni
Nunquàm cessantem, labe carere decet.
Victus amore hominum DEVS, en homo nascitur ex me;
Lux tamen è pura, nonnisi luce venit.
Nam quia *sum Diuina Parens inuenta*; necesse est.
Ergo animæ, sit Lux *Immaculata* meæ.

III.

III.

Pia, munda, iusta, alma, Creatorem genui.

CVm nouus innocuâ, prodîsset origine mundus,
Iustitiæ verò nomine, mundus erat.
Mundus amor, cultusq́; Dei, pietasq́; fidesq́;
Munda; recens nati cunctaq́; munda operis.
Omnia peccatum confudit, & omnia mundi
Ornamenta, suum non tenuêre decus.
Mundus vt assurgat rursum, iustusque piusque,
Natalesq́; iterum cernat vt ipse suos;
Munda Creatorem Genui, *Pia*, *Iustaq́* Mater,
Alma, & sola viri nescia, labe carens.

IV.

Ego aurum nitens, immaculata Deipara.

MVnera cælorum lectissima, digna metallo
Principe; digna sacris, aurea vasa cibis.
Angelici Panis, manantia fercula cælo,
Aurea Iessæi, sic laris vrna tulit.
Nempè Deum, rigui purissima vena metalli;
Maiestas solij, totaque munda decet.
Hinc *Ego* facta *Nitens Aurum*, mea viscera Nato,
Aurea vasa, *Parens Immaculata* dedi.

V.

Ego mitis, pura, immaculata, veneranda.

NVminis irati facies, peccantibus ô quam
Et grauis, & nimis hêu intoleranda venit!
Iudicij districta gerit cum tela seueri,
Ancipitique oris fulgurat ense minax.

Mitis

Mitis ego, cùm *Pura* Deo mea viſcera pando;
Et ſiſto Proli me *Veneranda* meæ.
Pro maculis orbis, facili mox audior aure;
Nempè fero puras *Immaculata* preces.

VI.

Margarita cæli ſum niuea, aptè munda.

ROrida concharum ſoboles, cunabula debent
Æthereis gemmæ, nobiliora plagis.
Inde nitor, candorq; venit puriſsimus inde;
Et pretium gemmis, & decor inde venit.
Gemma ego *ſum cæli niuea, aptè, mundaq;* Virgo,
Totaque cæleſtis forma, decorque mihi.
Conceptus ſine labe meus, ſine labeque vita;
Gemma velut puri, ſic ego, roris eram.

VII.

Sat pura è malo Adami, Increatum genui.

PEccati quæ prima malis exordia, malo
Infelice dedit, ſat mala malus erat.
Omnia corrupto vitiauerat, heu mala fructu:
In ſapidis nimiùm, deſipuitque bonis.
Humanum trahit inde genus, mala ſemina mali;
Vnaque mors morſu, cuncta momordit Adæ.
Sola *Creatorem Genui*; nam ſola nocenti
Pura Sat è Malo, totaque pulchra fui.

VIII.

Vna ſemper immaculata, Virgo Dei nata.

VNica Diuini Soboles Patris, vna Propago,
Æqualis Genitus cum Genitore Deus.

Vnus Virgineo partu, Patre virgine natus;
Idem natus Homo ex Virgine, virgo Deus.
Vnicus ergò Dei Natus de Virgine virgo;
Vna etiam *Virgo*, nonnisi *Nata Dei.*
Hæc ego Supremi ſum Numinis inclyta Nata;
Immaculata proin *ſemper*, & *vna* Deo.

IX.

Deipara, auguſtè immaculata nominer.

NOmina ſunt auguſta mihi; ſeu regia proles,
Siue Prophetarum ſtirps generoſa vocer.
Digna coronarum titulis, dignissima ſceptro,
Auguſto ſemper nomine digna frui.
Omnibus ex titulis, nihil eſt auguſtius vno,
Nec quidquam toto, carius orbe mihi eſt.
Nominer Immaculata Parens, ſi Numinis alti;
Tota ſat *Auguſtè*, gloria dicta mihi.

X.

Arca pura nati Dei, eum tegam almo ſinu.

ÆStuat impuræ dum carnis ab ignibus, orbis
Prouocat vltrices, & gemit inter aquas.
Arca Dei tum ſurgit opus, ſeruanſque cadentis
Relliquias orbis, mergier vna nequit.
Primæ diluuium culpæ, fluctuſque malignos,
Sic ego vitaui ſola, fauente Deo.
Pura Dei Nati, ſic iuſtè nominor *Arca*;
Almo Mater *eum* caſta, *tegamq́ ſinu.*

XI.

Aula ſum tota munda, ac Regina Empyrei.

Aula

AVla Dei cælum est, cælum pulcherrima sedes;
Maiestas, solium, magna domusque Dei.
Nec tamen hæc maculis caruit, dũ colla superbus
Lucifer attollens, par cupit esse Deo.
Est quærenda igitur, cælis quoque mundior ipsis,
Aula Dei, maculæ nescia, tota nitens.
Empyrei Regina Poli, pulcherrima *Tota*,
Munda ego *Sum*, cælis mundior, *aula Dei*.

XII.

En Virgo, en Deipara sum, at immaculata.

MIllibus ex multis, quæ me sapientis Abyssus
Iudicij elegit, mensque suprema Dei.
Fecundæ, castæque simul miracula Matris,
In me, non solitâ dum ratione parat;
Si mihi tu fecunda Parens, electaque Virgo,
Inquit es, immenso sola minorque *Deo*;
Immaculata proin, multis ex millibus esto,
Vna simul *Virgo*, *Mater* & vna mihi.

XIII.

Procul anguis à me, vna Mater Dei amati.

INuidiâ frendens, Stygius dum fortè Chelydrus,
Euam sub frondosâ arbore, stare videt.
Squammigeros voluens, sinuosi corporis artus;
Accessit propiùs, moxque venena dedit.
Innocuos vapido, qui subruit ore Parentes,
Nil mecum palpo perfidus anguis habet.
Vna Dei, super omne bonum sum *Mater amati*,
A me Tartareus, quàm *Procul anguis* abeit.

XIV.

Ruat anguis amarè, immane caput elido.

DAmnatus cælo, ſcelerũ faber anguis, ab alto;
Carpere quòd vetitos, ſuaſerit ipſe cibos;
In terram pronos artus, & colla ſuperba
Flectere, cum tumido vertice iuſſus erat.
Sed non oblitus ſcelerum, fraudiſque vetuſtæ,
Erigit ad ſolitos, ſe tamen ipſe dolos.
En *Immane elido caput, ruat anguis amarè*;
Sub pedibus victrix, quem ſine labe premo.

XV.

Tota ſine macula Adam, purè germinaui.

IMmaculata ſuæ tenuit primordia vitæ,
Conditus è terrâ virgine, primus Adam.
Nobile ſed corrupit opus, maculâque notauit,
Inficiens germen ſanguinis omne ſui.
Humani vitium generis, clademuè pudendam,
O quis reſtituet? nonnè ſecundus *Adam?*
Vt maculas primi tollat, *Maculâ ſine, Purè*
Hunc ego *Progenui*; *Totaq;* pura fui.

XVI.

Pergam inuiolata, ac munda Mater Ieſu.

IN cælum, facilis nobis via prima patebat;
Inceſſus nobis, cùm ſine labe fuit.
Mox iter obſtructum, quod nos vallauimus ipſi:
Hæſimus inque ipſo limine, mole graues.
Nemo gradum poſt hæc tentauit, criminis expers;
Amiſsâ potuit pergere nemo viâ.

Plaudi-

Plaudite mortales, ego *Pergam Mater Iesu,*
Munda per amissam, *ac Inuiolata* viam.

XVII.

Viuam Deo integra, immaculata Parens.

VIta animæ Deus est, ceû viui corporis illa;
Spiritus hic animæ, gloria, forma, decus.
Viuitur heû passim; sed viuitur, heû malè mundò,
Fons vbi abest vitæ, principiumque Deus.
Spiritus humanus cesset mihi, vitaque mundi;
Vita mihi Deus est, cor animæque Deus.
Hoc ego, non alio vitæ spiramine *Viuam*;
Immaculata Parens, integra, plena *Deo.*

XVIII.

Pura, & digna Mater: summa cæli ianua.

CLaudite sidereas ferratis postibus arces,
Excubiæ magni, sacra phalanxque Poli.
Quid iuuat, heû! miseris mortalibus, ostia toto
Clausa polo, validâ cuncta tenere manu?
Vicimus excubias omnes, cælumque tenemus:
Ferratis nec iam postibus illud eget.
Pura & digna Dei *Mater,* sum *Ianua Cæli*
Summa; quis in cælos, ostia aperta neget?

XIX.

Digna Mater Iesu, & pura à macula omni.

QVærebat Verbo Sapientia cælica, dignam
In terris Matrem, ex quâ, Deus esset homo.
Gratia, forma, pudor, pietas, prudentia, multis
Non deerant; primâ non tamen absque notâ.

Displicuêre Deo, nec tantæ Matris honore,
Fas erat indignas, cum maculâque frui.
Pura omni Maculâ, sola est purissima Virgo:
Hæc *Mater Iesu*, *Digna* thronoque Dei.

XX.

Sola purè, ac mirè munda, animata viget.

QVi trahimus noxæ maculas, & nascimur iræ
Infelix soboles, gensque inimica Deo.
Præda sumus mortis, durâque tyrannide pressi,
Plectimur heû nostris, immorimurque malis!
Mystica lux, quando melioris gratia vitæ,
Deficit in nobis; lux animata perit.
Purè Sola viges, *ac mirè Munda* Virago:
In Te nam vitæ, lux *Animata viget.*

XXI.

Vna est Deipara Virgo; en immaculatam!

COr mundum poscit Deus, in quo ritè moretur;
Et mentis puram, vult sine labe niuem.
Ipse etiam cordis mundissima lumina poscit;
Sub tantâ cerni, nec nisi luce potest.
Quantã animæ lucem, quàm cor sine labe requirit?
Carne vbi velatus, se locet ipse Deus.
Vna Dei sum *Virgo Parens*; *en Immaculatam*,
Ex vi tam magni muneris, esse decet.

XXII.

Vna est immaculata Virgo; en Deiparã!

SI mihi non aliæ dotes, non munera cælo,
Ex Te venissent prodiga, Magne Deus:

Si non

Si non electam, si non de sanguine natam,
Dilecti populi, stirpe sacrâque Tibi:
Si neque solenni voto placuisset habere,
Perpetuâ iunctam Virginitate Tibi:
Virgo quòd *Immaculata* alijs sū ex omnibus *vna*,
Sufficit: *en Matrem* me decet esse *Dei*.

XXIII.

Si pariat vna Deum, en ergò immaculata!

NAsci hominem, nostræq; pati mortalia sortis,
Posse Deum; toto quantus in orbe stupor!
Immensum, quis posse capi, quis carne teneri,
Æternumque, annis crescere posse putet?
Quæ Mater tam sancta; Deum quæ viscere casto
Ambiat, & Natum non tremat ante suum?
Hoc tamen arcanum, terris mirabile factum;
Vna Dei Mater, mira Puella docet.
Si tamen *vna Deum pariat*, quod credimus; *Ergo*
Debuit, *en* præ alijs, *Immaculata* dari.

XXIV.

En pura Dei amans, & immaculata Virgo.

PVrus amor lux est, & lucis amabile pignus;
Impurus tenebras, & mala noctis habet.
Purus amor maculas nescit, renuitque notari;
Impurus maculis, labe suâque scatet.
Purus amor, Diuinus amor: qui summus amoris
Fons est ipse sibi, flamma, focusque sibi.
Purior hic ignis, lux est quoque purior illi;
Nemo Deum purè, sit nisi purus, amat.

Imma-

Immaculata, *Dei* quòd *amans* sit, *puraq; Virgo*,
Omni labe carens; *en* amor ipſe probat.

XXV.

Purè amata, & munda, e macula Originis.

OMnia Sũmus amat, quæ fecit, Conditor orbis;
Nilque opifex operis, deſpicit ipſe ſui.
Quin etiam ad ſummũ tantæ bonitatis amorem,
Prouocat; immenſo dignus amore Deus.
In maculis poſitus, ſed quis tam ritè calere
Ignibus his poterit? quêis amor iſte calet:
Purè ſola Dei, *Maculâ ſine*, Mater *Amata*,
Hoc agit: ignibus his, nam ſine labe calet.

XXVI.

Regina ſummè Diua, purè intacta à malo.

AD Regis Regum thalamos, digniſsima tanto,
Quæritur ex cunctis, Regia Diua toro.
Secula tot, magnique dies labuntur, & anni;
Nulla toro par eſt, nullaque digna Deo.
Aurea iam feſtis genialibus imminet, & ſe
Explicat in roſeam, lux peramœna diem.
I tandem quæſita diu, Regalibus adſis
Par thalamis; magno, dignaque Sponſa Deo:
En dilecta Deo, *Diua* es; *Reginaq;* ſummè;
Purè intacta Malo, digna toroque Dei!

XXVII.

Dei ſumma imago, clara, & pura inuenta.

EXemplar, vultuſque ſui venerabile ſignum;
Plaſma ſuper poſuit, Conditor ipſe ſuum.

Augu-

Auguſtumque decus formauit originis altæ;
Vt memor Auctoris viueret inde ſui.
Tam ſacrum violauit homo, fregitque ſigillum;
Deque animæ facie, ceſsit imago Dei.
Inductæ rerum ſpecies, formæq; volantes;
Informes animo, quæ peperêre notas.
Heu periêre, Deo ſimiles in imagine vultus!
Nec ſpes, amiſſum poſſe redire decus.
Clara ſed ante omnes, & *Pura Inuenta* Maria;
Spes hominum facta eſt, *Summaq; Imago Dei.*

XXVIII.

En virgo Diua, nata ſemper immaculata.

VIrginei quod ſit pretium, quæ gloria floris;
Quàm ſemper niueæ nobile mentis, ebur:
Secula priſca etiam mundi, non munda fatentur,
Dianæque Epheſi, templa ſtupenda Deæ.
Tollite ſed caſtis altaria condita Diuis;
Templaque non pleno, caſta pudore ruant!
Dignior en tanto cultu, iam prodit in orbem,
Nata verecundi *Virgo* pudoris amans.
Hæc eſt *Immaculata*, coli digniſsima *Semper*,
Magna pudicitiæ *Diua*, meruſque pudor.

XXIX.

Alma virgo, ante caſum Adæ permunita.

CAſurum mortale genus, præuiderat olim,
Cuncta creata videns, mens oculuſque Dei.
Clade ſuper tantâ, primeuæ labis ab ictu,
Nos doluit noſtris, ſpontè perire malis.

Numquid ait, culpæ casu quoque corruet isto;
Dulcis, & æternùm Mater amata mihi?
Non patiar; casumq; meæ me cernere Matris,
Res indigna mihi; dum prohibere licet.
Ante parentis *Adæ casum munita* proindè,
Sit dilecta Parens, *Almaq; Virgo* mihi.

XXX.

En virgo pariet Deum sana, immaculata.

COncidimus quondam, letali vulnere culpæ,
Et mortis iaculo, saucia turba graui.
Vis diuturna mali, iam putrida vulnera passim
Fecerat, & facili non reparanda manu:
Publica languentis iam comploratio mundi,
Et sæuus magni funeris horror erat.
Dum sanum nihil est; dum saucius orbis anhelat:
Nemoq; adest, medicam qui dare possit opem.
Sed vitam, Medicumq; dabit, quæ vulnera mortis
Nescijt: vmbo animæ, cui fuit ipse Deus.
En Virgo parietq; Deum, quæ sola parentum
Immaculata malo, totaque *sana* fuit.

XXXI.

Niuea Mater Iesu, culpam ignorat Adam.

VRitur in medijs culpæ feruoribus orbis,
Infami scelerum, pestiferâque face.
Iamque velut flagrans cælo dum Sirius ardet,
Omnia flàmmarum vis malèsana rapit.
Quin etiam Stygijs surgunt incendia flammis;
Totaque fit bustum terra, rogusque mali.

Colle

Colle ſuper ſacro, cecidit nix caſta Mariæ,
Æſtibus in medijs, magnus in orbe ſtupor.
Mater enim *Niuea* eſt *Ieſu, culpamq́* Parentis,
Hæc *ignorat Adam*, nix mera, floſque niuis.

XXXII.

Ita Eua ſecunda, malum ignorat primæ.

EVa Parens hominum, primo notiſsima lapſu,
Corruit incauto pectore, victa dolis.
Eua ſecunda, Dei Mater dignisſima Nati,
Humanum caſu liberat omne genus.
Prima Deo facta eſt, contemptâ lege rebellis;
Subdita mandanti facta ſecunda Deo.
Prima ſubit mortem, vitali ex arbore vitæ;
Ex mortis vitam morte, ſecunda tulit.
Prima malum peperit, ſine crimine nata Virago;
Sed peperit Summum, Virgo ſecunda Bonum.
Ergo *Ita* felici rerum diſcrimine, totum
Ignorat primæ, en *Eua ſecunda*, malum.

XXXIII.

Virgo eſt, ac præmunita in Adæ malum.

IMmundus, mundas animas, vapiduſq; coluber,
Impugnat Stygijs ignibus, hoſtis atrox.
Ægide Diuinâ caſtus pudor indiget; vt ſic
Impuro vinci, neſciat igne Stygis.
Virginitas munita Deo, ſecura malorum,
Sola triumphatrix, ſola potenſque ſui.
Virgo eſt, inq́ malum ſic *præmunita Maria*
Sola ſit; vt primi quæ mala neſcit *Adæ*.

XXXIV.

Ista Virgo, almè, purè, ac mundè animata.

COrpore, nō animo viuūt, queîs viuere dulce est;
Inter peccati vincula, dulce mori.
Viuendi genus hoc miserū, quod viximus omnes,
Omnibus hêu nobis exitiale fuit!
Non animata mihi vita est; quæ mortis acerbæ
In spolium viuit, triste cadauer habens.
Labe procul concepta, Deo viuensque Maria,
Momentum primi nescijt omne mali.
Sic *almè, purè, mundè,* concepta *Virago*
Ista est, & solo ceu *animata* Deo.

XXXV.

Tanta Virgo, merè immunis à culpâ Adæ.

NVlla Deū mensura capit, mens nulla prehēdit,
Omnis ei ratio, linguaque cuncta silet.
Maiestatis enim tantæ scrutator, ab ipsâ
Opprimitur, dignè quam stupor ipse colit.
Ergo Dei tanti, quantum non cogitat vlla
Indita vis, etiam mentibus Angelicis;
Quanta sit electa ex cunctis dignissima Mater;
Nemo capit, nec habent secula cuncta parem.
Tanta merè immunis proin, vt sit *Virgo* necesse est
A culpâ, per quam corruit orbis, *Adæ.*

XXXVI.

Deipara magna venit, morsu mali vacet.

CArpere quæ libuit, quanquam non ritè liceret,
Mala, venenatum quæ peperêre malum.

Non

Non ſibi guſtârunt tantùm, ſolique Parentes,
Illiciti nimiùm, quêis ſapuêre cibi.
Porrexêre ſuæ, ſed noxia, fercula proli,
Totaquè poſteritas, nunc mala mala ſtupet.
Hic morſus commune malum, mortemq; momordit;
Lethifero cuius vulnere, nemo vacat.
Magna Dei Mater venit, res iuſta proinde;
Vt morſus mali, labeque ſola *vacet*.

XXXVII.

Ea ſanè Pura, miraculum Magni Dei.

MIra operũ, Diuina manus, molimina patrat;
Seruat opus factum, sêu creat illa nouum.
Tanta ſed aſsiduo rerum non cernitur vſu,
Maieſtas operis, continuuſquè ſtupor.
Interdum non viſa proin miracula ſurgunt,
Attollitque animos, res nouitate ſuâ.
Aſt operum, quæ magna Dei miracula ſignant,
Nil maius, magnâ Virgine Matre Dei.
Hæc *Magni* res mira *Dei*, ſine criminis ortu,
Tota Ea quòd *Sanè Pura* ſit, atque ſacra.

XXXVIII.

Iram, maculamue Adæ penitus ignorat.

GRatia me ſeclis elegit ab omnibus vnam,
Immenſi fierem, Mater vt Alma Dei.
Gratia me ſterili fecit de ſtirpe Parentum,
Conceptuſque meos, hæc ſine labe dedit.
Gratia formauit, peperit me gratia mundo;
Ex me cûi rurſus, gratia nata redit.

Illa

Illa mihi vitæ, ceu mystica mater, & altrix:
Hæc animæ nutrix, totaquè vita meæ.
Hinc meus, & *Maculam* culpæ conceptus, & *Iram*,
Ignorat penitus, tristeque crimen *Adæ*.

XXXIX.

Purior Angelis, Deum vnicè amata amat.

SPiritus ætherei, cælorum Martia pubes,
Felix: quòd carnis mole, maloquè vacet,
Innocuas mentes, minimoquè carentia lapsu
Corda, quòd & maculis non vitiata gerat.
Angelicæ sors est naturæ, dosquè beata;
Quæ facilè Empyreis sedibus apta venit.
Pondera sed nostræ, minùs heu felicia carnis,
Mascula virtutis nonnisi gesta ferunt.
Sola est in terris, superum quæ Virgo beatas,
Humanâ vicit conditione, vices.
Cætibus *Angelicis*, nam *Purior* omnibus vna,
Vnicè Amata Deo, plùs *Amat* Vna *Deum*.

XL.

Regina, mirè tuta à lapsu communi Adæ.

SEruantur multo custode palatia Regum,
Vndique peruigiles excubiasquè ferunt.
Maiestas sit opus tantæ secura coronæ,
Tutaque sceptrorum gloria, tutus honos.
Non aliàs res sacra, decus regale, thronusque
Censeri poterit, ferre vicesque Dei:
Nî sua Regali solio reuerentia constet,
Nîque coronatus sit benè tutus apex.

Sceptrigeram Matrem, custodia Numinis alti,
Æthereis quoque sic cinxerat excubijs.
Nam *Regina* poli, *mirè* sit *Tuta*, decebat,
Communi a lapsu, labeque mortis *Adæ.*

XLI.

En micat almè ignita, pura domus aurea.

AVrea Iessiaci cedant miracula templi,
Magnificumque procul sit Salomonis opus.
Quidquid in auratis Laribus fecêre stupendum,
Occiduæ Regum, seu Orientis opes.
Cedat: & obryzo laquearia ducta metallo,
Gazarum sileat vanus in orbe stupor.
Aurea Pura Domus, Regi carissima Regum,
Vnum quod stupeant secula, surgit opus.
En Ignita Micat radijs fulgentibus *Almè*,
Aurifodina amor est illius, atque faber.

XLII.

Virgo veneranda, ipsamet immaculata.

SAcra Deo surgunt altaria, templa, domusque;
Iustus quas sequitur cultus, & omnis honos.
Hæc electa Dei in terris habitatio; summus
Debet adorati Numinis esse locus.
Virginis est vterus templum; sed purius omni
Diuinâ in terris, nobiliusquè domo.
Visitur hîc omnis maiestas, gloria, splendor
Numinis, & toto sanctior orbe locus.
Si templis honor est; an non *Veneranda Virago*,
Ipsamet est sedes *Immaculata*, Dei?

XLIII.

XLIII.

Ista Eua Regina, mundo almè pura micat.

REgia progenies, Diuini plasmatis Eua,
Orbis ad imperium, condita prima fuit.
Omnia sub pedibus, rerum subiecerat illi
Conditor, inquè vsum cuncta creata dedit.
Iamquè maritalis tenuit consortia sceptri:
Iam facilis dominæ nutibus, orbis erat.
Nî Dea cum fieri vellet; non ritè tumentem,
Regalis subitò deseruisset honos.
Illa throno cecidit; noua què conscendit, & orbis
Imperium, titulo nobiliore tulit.
Ista est *Eua* Dèi Mater, *Reginaq̃ Mundo*,
Præsidet en *Almè*, totaque *Pura Micat*.

XLIV.

Maturè nego in Deipara iusta, maculam.

ORbis quod de Te purissima Virgo fatetur,
Quodquè Dei Matris munera summa decet.
Conceptum sine labe tuum, veneror que, canoque
Constanti toties pectore, voce, stylo.
Quot vitæ momenta meæ, quot verba, quot actus;
Quot venis guttæ sanguineisquè latent:
Quot mihi sunt ictus cordis, respiria quotquot;
Transactique dies, quot sine luce mihi:
Quotquot & amissi solatia luminis, ex Te
O Oculi spero dulcis ocelle mei!
Maturèq̃ Nego, pietatis dogmate sacro:
In Iusta Maculam, *Matre* fuisse *Dei*.

XLV.

XLV.

Lapsum ac reatum Adami, niuea ignoret.

SI Deus in terris, mortalem viuere vitam
Eligo; si carnis pondera ferre placet.
Lux ego sum, vestisq; mihi niue candet eburna;
Rex ait æternus, cor, & imago Patris.
Lux quoq; sit, candorq; merus, mera nixque necesse est;
Me quæcunque Parens, est paritura Deum.
Omnibus vna stetit quòdsi sententia seclis,
Iesseæ Matrem stirpis adesse mihi.
Infelicis *Adam Lapsum*, culpæque *Reatum*,
Vt *Niuea Ignoret*, totaque pura, volo.

XLVI.

Magna Deipara, vnicè tuta à morsu mali.

QVæ lignum vitæ peperit, fructumq; salutis,
Innocuo partu Regia Virgo dedit.
Mortiferos fructus, & auiti criminis escam,
Communi morsu tangere sola nequit.
Nempè velut cœtus hominũ supereminet omnes,
Magna Dei Nati, solaque casta *Parens*:
Debuit à *Morsu* sic libera, *Tutaq; Mali*,
Vnicè, & à mortis longiús esse malo.

XLVII.

Iurè negamus maculam, in totâ Deiparâ.

SI quid habet doctæ, melior sententia mentis,
Quod magis ex sensu, sentiat esse bono.
Labe carens, hæc est magnæ Conceptio Matris;
Quo nihil ex omni dogmate, sanctius est.

Hæc ſapere, eſt ſapuiſſe Deo; ſentireque demum,
Quod magnæ Matri debitus vrget honos.
Tota Deo placuit, ſimili ſine more placendi:
Sola ſine exemplo, Virgo ſimulque Parens.
Sola ſine exemplo primæuæ neſcia labis:
Debuit & tanto ſurgere digna Deo.
Iurè proin, veráque animi pietate *Negamus:*
In Tota Maculam, Virgine *Matre Dei.*

XLVIII.

Amici, en pura genuit Adam Saluatorem.

O Quotquot, ſeu fortè poli regione beatâ,
In facie ſummi luminis, atque boni!
Terrarum ſeu fortè locis, mortiſque ſub ictu,
In medio vitæ viuitis, inque viâ!
Virginis æternæ, Diuinæ Matris, *Amici*,
Plaudite! melque merum, pectora veſtra riget.
En Saluatorem Genuit, pretiumque ſalutis!
Pura nouum terris, Virgoq; fudit *Adam.*

XLIX.

Ergo ſine macula auita, nam Deum parit.

EX proauis, atauiſque decus, cū ſanguine manat;
Manat & ex claro ſanguine, noxa mali.
Nemo ſibi peccat, ſtirpem qui peccat in omnem:
A radice malum, planta bonumuè trahit.
Hoc generis vitio, maculam contraxit auitam,
Alto maiorum ſanguine cretus homo.
Sed generis vitium, generi non debet auito,
Caſta hominem potuit, quæ genuiſſe Deum.

Ergo

Ergo sola hominùm, *Macula sine* prodit *Aulrâ*:
Nam fecunda *Deum*, sola Maria *Parit.*

L.

O sanè claram, & puram Dei viui gnatam!

NAscimur in terris, soboles tamen edita cælo;
Cûi licet æthereum, iure vocare Patrem.
Sed viui stirps viua Dei, non mortua nasci,
Æterni debet progeniesque Patris.
Omnibus hoc licuit quondam; sed culpa negauit,
Viuaque stirps, viui noluit esse Dei.
Glutijt vt mortem viuens homo; vindice pœnâ,
Viuere quàm posset, debuit ante mori.
Sola mori nequijt, vitæ quàm viueret ortu:
Quæ sub peccati nescijt esse iugo.
O Sanè Claram, & Puram sine labe Mariam!
O veram *Viui Progeniemque Dei*!

LI.

O Diuam, purè genitam, sine atrâ macula.

REs Diuina anima est, species pulcherrima rerũ,
Ipsa venustatis forma, merusque decor.
Delicijs, oculisque Dei quàm digna; vel ipsum
Grande Redemptoris nonnè fatetur opus?
Spontè sed in maculam res formosissima, postquã
Lapsa cadit; formæ concidit omne decus.
Quàm labes hæc atra mali, fuligoque quanta!
Sanguinis è Christo balnea fusa vide.
Ista venusta anima est, pulcherrima tota Mariæ;
Omnis in hoc vno gratia corde sita.

Dicere iam liceat: *Maculâ sine criminis Atrâ*,
O Diuam Genitam corde, sinuque Dei.

LII.

O Diuam ingenti maculâ præseruatam.

PRimæuam si quis maculam, quàm grandis, & ingens,
Et quanti fuerit, cogitet ansa mali;
Colligat ex lapsi, damnis ingentibus orbis,
Humanum simulac concidit omne genus.
Concidit heu! veterisq; gemens sub pondere culpæ,
Oppressum nunquam sustulit inde caput?
Hâc sub mole graui, nunquàm Diuina Virago:
Et rabido nunquàm mortis in vngue fuit.
Ingentem, sanè decet ingens gratia Matrem;
Cuius in applausus, vox quoque grata sonet:
O Præseruatam cælesti munere *Diuam*!
Ingenti Maculâ, quæ caret & minimâ.

LIII.

Age munda; i pura, tota mirè sine maculâ.

SIsteret irato quod coram Numine pectus,
Non habuit lapsu criminis ictus homo.
Amissæque videns discrimina certa salutis,
Quærebat latebras, & sua lustra reus.
Noxa mali cunctos, & mens conuicta tenebat,
In cælumq; oculos tollere, culpa vetat.
Quid faciat mortale genus, non munda secutum?
Mundum ex immundō quem dabit orbe virū?
Quàm benè Te nobis, pectus sibi amabile sêclis
Omnibus, & toto repperit orbe Deus!

Fac

Fac *Age*, tu *Mirè Maculâ sine*, *Totaque Munda* ?
Pura Deum placidis, ô bona flecte modis.

LIV.

Iô Regina, pura, munda, & immaculata es!

SÆuus, in humani generis consortia quondam,
Decretum mortis, quòd malè struxit Aman;
Infernalis Aman, mandens sua liuidus exta;
Æternùm quòd sit profugus ipse polo.
Electi cladem populi dum fortiùs vrget,
Iamque minax toto latiùs orbe sonat;
Dum gemimus, morimurq; ipsâ formidine mortis:
Regis amica, tuam poscimus Esther opem.
Corpore *Munda*, animo *Pura*, *Immaculataq;* tota *es:*
Iô Regina! & crux sua tollet Aman.

LV.

Age, Numen paris, ô Diua ter immaculata!

QVanta Tibi Virgo, cælis quoque purior ipsis,
Munditiës animæ debita, quodue decus ?
Quem portas, quem casta paris, quẽ sola prehendis
Corpore, mente, sinu, Maximus ipse probat.
Immensus, mensura tui, Deus ipse decoris;
Matris honos, Nati constat honore Dei.
Si pulchri, purique boni fons, æquor, abyssus,
Est *Numen*; quod tu maxima Virgo *Paris*.
En *Age* nonné decens ? vt *Ter* sis *Immaculata*,
O Diua! ex quâ Ter Maximus exit Homo.

LVI.

Age idea sanè clara, omnium puritatum.

QVæ fecunda ſimul, ſimulſque caſta,
Matris, Virginis eminens honore,
Conclusit gremio Deum pudico;
Vt compendia ſumma puritatis,
In ſe clauderet, vnicè decebat:
Hâc in Virgine, dexterâ potenti
Nimirum Deus, omne puritatis
Abſoluit decus, atque opus ſtupendum;
Vt Mater ſimul, & ſimul Virago,
Non puriſsima Virginum; ſed ipſa
Puritas mera, flos, medulla, ſedes
Caſti pectoris, *Omniumque Clara*,
Hæc *Sanè* ſit *Idea Puritatum*.

LVII.

Tu iurè immaculata, magna Dei Parens.

IVrè Tibi Virgo ſpecies puriſsima cedit:
Iurè Deo maculæ neſcia, tota places.
Aſſerit hanc ſummi dotem Tibi quippè nitoris,
Omne quod eſt iuri, iuſtitiæque ſacrum.
Conceptu ſine labe Tuo nil iuſtius: vt nil
Virgine Matre Dei ſanctius, orbis habet.
Ius fauet omne Tibi, ſis vt *Tu magna* per orbem,
Omni *Iure Parens Immaculata Dei*.

LVIII.

Tu magna, ſeruata à nece mali, duri Pomi.

OCcidit vna dies, non vno funere noctis,
Omne genus; vetiti cûi nocuêre cibi.

Non

Non iaculis, non ense perit, non grandine ferri,
Non Dolopum telis, Myrmidonumuè manu.
Tota mali series, duro de semine mali:
Duraque mors, vetitis fructibus orta venit.
Durius heu ferro, saxis, adamanteque malum;
Omne quod heu potuit comminuisse caput!
Te tamen vmbo sacer, Diuini texit amoris.
A Duri Pomi vulnere, *Magna* Parens.
A Nece Tu Seruata Mali, dapibusque nefastis;
O Virgo, mali nescia sola mali!

LIX.

Tu regia purè munda, anima amicta sole.

REx animæ Deus est, animæ sed labe carentis;
Hæc illi sedes regia, cara domus.
Dulciùs haud aliâ, fons lucis luce moratur:
Non alio residet splendidiore throno;
Quæ tamen ex toto, tam lucida, sanctaq; mens est;
Induat vt totum solis, ametque iubar?
Vnica Iustitiæ Solis, tu regia sedes.
Virgo quæ pleno lumine, sola micas.
Nempè tibi sacri fons luminis, intus *Amicta*
Sole Anima est, *Purè Regia Munda* Dei.

LX.

Purè immaculata es, nam Virgo Dei nata.

QVid causas, sensusq; animi scrutaris, & vrges
Primæuâ Virgo quod sine labe micet?
Tantæ Matris honos, sobolis dignatio tantæ,
Sufficit assensum conciliare tuum.

Sed

Sed neque Nata Dei, cum dici Virgo meretur,
Conceptûs maculam debet habere sui.
Conscia res maculæ, partu non nascitur isto:
Pura Deo mens est, pura propago Dei.
Immaculata proin *Purè Es*, Sanctissima *Virgo*:
Nam venis ex alto sanguine, *Nata Dei*.

LXI.

En vudes ô pura, Mater agni immaculati.

PRo maculis orbis, Superos oblatio munda,
Candorisque meri, cor sine labe decet.
Agnus grata Deo, sic pro fœtentibus hircis
Hostia; sed maculâ qui caret, Agnus erat.
Offerri talem decuit, qui tolleret Orbis
Crimina; sed mundo quis sacer Agnus erat?
Ille Deo sacer est, qui lilia pascitur inter;
Inter lilia qui nascitur, ille sacer.
Pascua sed quæ sunt? vterus qui liliger vsquam?
Quo nasci, & pasci, castus hic Agnus amet?
Lilia fert vterus Virgo tuus: *Immaculati*
En Agni, vades Pura proinde *Parens.*

LXII.

Eia munda Parens, & immaculata Virgo.

VIcisti, sacrumque Tibi Diuina Virago,
Io sonet, laudem quod decet Io tuam.
Conceptus sine labe tuos, iam prona sequuntur
Vota: nec est aliquid, quod magis orbis amet.
Ipsa Vaticanæ fastigia summa Tiaræ,
Ortûs festa probant immaculata Tui.

Expli-

Explicat hanc populis mentem, de sede supremâ
Laudis Alexander victor, amansquè Tuæ.
Vicisti, sensusquè fauet communior orbis,
Conceptu nil iam purius esse tuo.
Munda Parens igitur sis, *Immaculataque Virgo*,
Eia triumphali carmine, voce, fide!

LXIII.

Tu è summo data, pura à nece amari ligni.

QVis putet in terris, Te Virgo regia natam?
Humanæque Tibi stirpis adesse decus?
Nil Tibi de terrâ, nil de mortalis adhæsit
Contactu culpæ, nil populare sapis.
Altior est animæ tam præcellentis origo,
Natalesque refert altiùs illa suos.
Scilicet in terris, vetiti contagia ligni,
Omnes heu culpæ conditione ligant.
À Nece Tu Ligni, cum sis immunis *Amari*;
E Summo cæli *Tu Data*, pura venis.

LXIV.

Pura, ante originem immaculata vades.

EX vtero concessa alijs, sine labe Parentum,
Gratia nascendi; non tamen ante notam.
Ante notam, quæ prima decus, corrupit in ortu
Immortale hominis, damnaque summa dedit.
Sanctificat geminos, hæc gratia rara Prophetas:
Conceptùs maculam, non tamen ante venit.
Hoc Tibi seruatum soli, quæ sola per orbem,
Ante omnem maculam, facta es amica Deo.

Si Pura, ante tuam procedis *Originem* ab alto;
Æternam vades Immaculata viam.

LXV.

Tu ergo immaculata, nam Deipara venis.

QVod sine labe Tibi conceptio venerit, & quòd
Peccati nullo, vis Tibi facta iugo;
Si non clamaret rerum iustißimus ordo;
Ius, & fas si non posceret, atque decus:
Si non tot meritis, stimulis tot, milleque causis,
Mentibus humanis, res ea clara foret:
Vnica conuincit maiestas, vnica Matris
Gloria Diuinæ, grande triumphat opus.
Ergo Tu Virgo, dubio procul *Immaculáta es*;
Nam Diuina Parens, tu nisi sola venis.

LXVI.

Tu Regia, munda, animata, cælum aperis.

CLauserat heu miseris cælum mortalibus: ipsa
Carpere quæ poterat, noxia poma manus.
His dapibus periêre dapes, & munera cæli;
Quidquid Olympus habet, glutijt iste bolus.
Vix animas (heu molle genus) seruauimus, inter
Primæuas maculas, ingluuiemque mali.
Dumq; epulis, gazam Superûm decoximus omnẽ;
Æthercam clausit dextra gulosa domum.
Ergo spei nihil est? nihil heu! nisi sidera rumpat,
De terris veniens, Regia munda Dei.
Munda Animata, Dei *Tu* cùm sis *Regia* Virgo;
An non tu *Cælum*, cor *Aperisque* Dei?

LXVII.

Una paries Dei Natum: ergo immaculata. Quod

QVod dotes, quantumq; decus, quod culmen honoris?
Hanc manet in terris, quæ paritura Deũ est?
Dos omnis, totumq; decus, culmenq; supremum,
Hanc manet, & quidquid maximus orbis habet;
Quodue potest, & vult tantæ concedere Matri?
Omnia cûi dare vult summa, potestquè Deus.
Si potuit, voluitque Tibi Deus, omnia summa
Virgo dare, & toto fundere dona sinu;
Vt maculâ careas, cur nollet, originis? in qua
Per culpam fieres, subdita facta Stygi.
Vna Dei Natum Paries, nec par Tibi surget:
Ergo Deum parias *Immaculata*, decet.

LXVIII.

I, age, pura à sorde, & munita in maculam.

VIs Erebi, culpæquè malum, mortisq; potestas,
Humanum simul heu! dum petière caput:
Consociata manus, nullo certamine vinci,
Et nullis potuit viribus esse minor.
Quodque graue est, nostris in nos sæuissima telis,
Et rigido nostri sæuijt ense mali.
Iamque animi virtus nobis, nec roboris vlla est,
Nec mala, de nobis vincere nata licet.
Tu secura mali, culpæ, mortisquè, Stygisquè:
Fac *Age* victrices, tolle Virago manus.
In Maculam cùm sis *Munita, à Sordeque Pura*,
I, triplexquè, mali nescia, vince malum.

LXIX.

I Regum Patrona, en Diua immaculata es.

MAiorum regalis honos, Tibi Virgo vetusti
Sanguinis, ex proauis fert, atauisquè decus.
Numinis æterni, qui Te quoque iure coronat,
Et Natam, & Sponsam, regius ambit honos.
Omne coronarum ius est Tibi, dosquè perennis:
Ad fasces veniunt, omnia sceptra Tuos.
Inde Tibi tantus soliorum cultus, & omnis
Maiestas, flexo vertice prona Tibi.
Nempè thronus maculam ceù regius odit, & arcet;
Sic Reges, maculæ nescia Diua, decet.
Regum Patrona proin, Tu nescia culpæ:
En Diua es, Reges *Immaculata* reges.

LXX.

Iam munda es à culpâ, Virgo intemerata.

VIderat exorti necdum cunabula mundi,
Seclorum facies, & sine lege chaos.
Cardinibus necdumq; suis, vastissimus æther,
Firmari geminos, vidit vtrinquè polos.
Mole graui, necdum tellus suspensa pependit,
Oceaniquè procul gurgite, sicca stetit.
Ante hominum, rerumq; vices, seriemq;, diesque,
Et factum infelix, ante cadentis Adæ:
Iam Munda es Virgo, maculam nec originis in Te,
Post, & ab æterno, secula ducta vident.
Scilicet *à culpâ* temerari, culpa nefasquè,
Virgo conceptus *Intemerata* Tuos.

LXXI.

Vna Deo immaculata es, Mater puri Agni.

Vnicus

VNicus est Agnus, Crucis inter brachia tostus,
Quem nimius sacris ignibus, vsit amor.
Vnica pro cunctis hæc sufficit hostia; sed quæ
Ex cunctis, sola est immaculata Deo.
Hæc orbis maculas,& auitum sustulit vlcus;
Impuris puro sanguine, facta salus.
Vnus hic Agnus erat;sed hic vnus,ad omnia factus;
Vnus pro cunctis immaculatus obit.
Fœta Deo Virgo, *Puri* quoq; *Mater es Agni*
Vna; sed è cunctis *Immaculata Deo*.

LXXII.

Eia ergò pura, munda, immaculata nites.

SOl Tibi Virgo Deus, quo Te conspexit amictã,
Sidereos inter, virgo Propheta, choros.
Hæc Tibi nata Dei, viuo de lumine vestis;
Hoc dotale decus, Regia Sponsa Tibi.
Lucis opus tota es, concepta in luminis, ante
Secula, fonte Deo, nataquè in ore Dei.
Hinc Tibi lux animæ, veniens è lucis abysso,
Vmbrarum culpæ nescia, tota micans.
Hinc in sole Tuo, thalamum sibi Sponsus,& altũ
Cinxit ab æterno, lux mera luce thronum.
Eia Ergo, Solis Diuini *Munda* propago,
Pura, animæquè bonis, immaculata nites.

LXXIII.

IVirgo, sanè munda, apertè immaculata.

ORbis in augustâ facie, quod sentio vates:
Conceptam, Virgo, Te sine labe cano.

Hoc mihi cælorum radiantia ſidera dictant :
Aſſerit hoc tellus, indicat ipſaquè Styx.
Angelicæ mentes, iſtud ſine voce loquuntur :
Hoc ſentit, ſenſu quidquid in orbe caret.
Omnia Diuinam poſcunt ſine labe Parentem,
Concipi, & in nullam degenerare notam.
Nec tam clara dies, nec tam ſol lucet apertè :
Conceptus Virgo, quàm ſine labe Tuus.
I Virgo ſanè Munda, Immaculataque Apertè :
Clarius hoc nullum dogmate, dogma micat.

LXXIV.

Euâ Te dignam, iuro ſine maculâ partam.

INnocuos partus ſortita eſt, quæ prior Eua,
Primitias mundi, iuſtitiæquè tulit.
Prodiit è coſtâ, dilecti virgo mariti,
Quam Deus artifici condidit ipſe manu.
Quæ paritura homines fuerat, vitiumque datura,
Si ſine labe ortus viderat Eua ſuos ;
Quæ paritura Deum fueras, mundique ſalutem ;
An ſinè labe ortus, non decet eſſe Tuos ?
O decuit ſane ! *Maculâ ſine*, ſic ego *Partam*
Te Dignam Iuro, quàm fuit *Eua* Parens.

LXXV.

Pura à maculâ eſtô, & iam mundi Regina.

SI quid habes Virgo, Tibi quod Regalia poſcat
Sceptra, coronatum quod velit eſſe caput.
A maculâ primæ quod ſis puriſsima culpæ,
Inde venit regni ius, & origo Tui.

Orbis ad imperium non est, fascesquè tenendos,
Qui reus est culpæ, vinclaque dura trahit.
Omni labè vacet maiestas tanta; necesse est;
Quæ pariter cælis imperat, atquè solo.
Hoc in te colimus, *Macula* sine *Pura* Virago:
Quâ cum nil viuat purius, ante Deum;
Esto etiam Regina, throno dignissima *Mundi*:
Vnica cum toto, mundior orbe mices.

LXXVI.

Tu regia pia, summa, & munda cæli ara.

IRatum placare Deum, quæ posset in altis
Ara, tot à seclis cælica nulla fuit.
Ignea perpetui durabant tela furoris,
Pendebat minimis vltio sæua malis.
Nullus odor suauis, quem victima ferret ab orbe;
Nulla super cælos, Ara sacrata Deo.
Dum vacat, & non est placabilis hostia cælis,
Suaueque succendi dum thymiama nequit;
Tu Regina Pia, in cælos post secula tandem,
Orbis ab extremo cardine, grata venis;
Tu *Cæli summa* es, *Tu mundaque* Numinis *Ara*;
In te placata est ira, furorque Dei.

LXXVII.

I Virgo almè amata, pura, munda, nitesce.

NVllus in orbe decor, nihil est quod Numinis alti,
Aspectu grato, lumina sancta beet.
Omnis in offensam ruit impetus; omnia latè
Pessundat vitium, curaquè carnis habet.

Inque

Inqueoculos incurrit atrox ſcelus vndiq;, & ipſum
Cor lacerat culpæ vis, inimica Dei.
Dum nihil eſt oculis, nihil acceptabile cordi,
Nullaquè res almè viuit amata Deo,
Almè Tu ſaltem præ cunctis: Mater *Amata*,
Numinis vt recrees cor, oculoſquè veni.
Virgo, culpæquè notas, Tu dilue *Pura*,
Totàquè pro mundi, *Munda Niteſce* bono.

LXXVIII.

Sanè digna, meritouè pura, immaculata.

QVæ Mater fueris, ſi quis Te cogitet, & quem
Sis enixa hominem, Virgo, ſimulque Deum;
Sufficit vt maculâ procul omni, ſentiat ortam,
Iſ quâ perfectum eſt grande ſalutis opus.
Nempè operi, decuit vas admirabile tanto
Formari, quantum ſecula nulla dabunt.
Hoc de Te ſentire licet, palamquè fateri,
Inuicto ſenſu, iudicioque animi:
Quòd *Sanè Digna*, & *Meritò* ſis *Pura* Virago:
Vt Mater fieres *Immaculata* Dei.

LXXIX.

Verum Dei Agnum, intactâ à malo, paries.

DEcreto ſtetit, vna Dei ſententia firmo;
Naſci hominem in terris, eſſe neceſſe Deum.
Res arcana nimis, magni res plena ſtuporis;
Sola patens, ſoli poſsibiliſque Deo.
Sed conuincit amor, nec amoris viribus vllam,
Quis poſuit metam; nam Deus ipſe amor eſt:

Ipſe

Ipſe amor eſt, Agnuſq; ſimul, mera victima amoris;
Ipſe ſibi verus Paſtor, & Agnus amor.
Verus hic ante Deum, maculâ ſed qui caret Agnus
Matris, quæ maculam ſentiat, eſſe nequit.
Si *Verum Paries* igitur, Tu *Numinis Agnum*;
Omni *Intacta Malo*, ſis pia Virgo decet.

LXXX.

Age purè animata, mirè cumulata donis.

IMmenſum quiddam eſt, Tibi quòd celſiſsima Virgo
Conceſſum voluit, gratia ſumma Dei.
Non capit hanc ſeriem, pectus quodcunq; creatũ,
Et quidquid minus eſt, inferiuſquè Deo.
Nam quidquid poterat, res purè ferre creata;
In Te more maris, diluuijque venit.
Donorum cæleſte penu, Tu ſola prehendis;
Cui licuit ſoli, prêndere poſſe Deum.
Hoc animæ gazam decuit, ſine labe nitentem;
Quæ ſolo fuerat *Purè Animata* Deo:
Fac *Age* Virgo potens, *Mirè Cumulataque* donis,
In nos gutta Tui, depluat vna maris.

LXXXI.

O Regina ſummè nitida, & pura à macula.

AVrea regalis ſolij faſtigia, terris
Nobile quo niteant vndique, fulgur habent,
Omnis in hoc rerum ſeries, ponduſquè laborat;
Sudat ab extremo, quod venit orbe decus.
Indus, & Aſſyrius, Lydus quoq; Perſa, Arabeſque,
Concluſum terris, germen & omne mari,

Vndique gemmarum pretio concurrit, & auri;
Vt summè niteat, Regius omnis apex.
At Tibi Regalis solij lux maxima, de Te
Sceptrorumque nitor summus, & omne decus.
O Summè Nitida, à Maculâ Reginaque Pura!
Nempè nites summè, quæ sine labe nites.

LXXXII.

Cæli merè gaudium, nata pura amantis.

GAudia quæ cælos hilarant, numeroq;, modoq;,
Lætitiæ ex ipsis fontibus orta, patent.
Hîc latè riguos animorum nectar in amnes,
Cordibus affusum, gaudia mille ciet.
Inque voluptatis causas renouatur, ab ipso
Fonte voluptatis, lætitiæquè Deo.
Nil aliud, cæli, mera quàm sunt gaudia: sed quæ
Dulcior ante omnes, fortiùs vrget amor.
Hoc de fonte venit nectar, quod pectora mulcet,
Exhilaratquè magis, quò magis ardet amor.
Nonne *Merè Cæli* Tu *Gaudium* es? in sinu *amantis*,
Quæ gaudes Virgo, *Nataque Pura* Dei.

LXXXIII.

Virgo planè munda, ac Mater Iesu amati.

GRatius æterno, nihil est, & amantius vnquam
Prole suâ, genuit quam sine matre, Patri.
Hæc eadem proles, rursus communis eidem,
Cum matre in terris: nascitur absquè patre.
Si Patris æterni, cum Virgine filius idem:
Si communis amor prolis, vtrinquè viget:
Deliciæ

Deliciæ Patris Iesus, quàm dulcis amatus:
Quàm Iesus Matri, dulcis amatus amor.
Deliciæ Patris, tam *Iesu Mater Amati*;
Tam dulcis nato, Mater amata suo.
Vt *Planè Virgo*, omnino sis *Munda* necesse est;
Numinis elegit quam sibi, tantus amor.

LXXXIV.

Eia munda, pura, Tu magni electa amoris.

OMne suum perfecit opus, viresque supremas,
In te Diuinus, Virgo probauit amor.
Hìc sese totus flammam collegit in vnam;
Hìc sine mensurâ factus, & absquè modo.
Quidquid in electas animas effuderat; in Te
Transtulit, & totum se Tibi Virgo dedit.
Scilicet ad Matris Diuinæ, magna vocatam
Munera debebàt, condere magnus amor.
Electamque, sibi maculâ sine reddere Matrem;
Quam Deus, inquè Deo magnus amauit amor.
Eia igitur *Tu Munda* Deo, *Tu Pura* Virago,
Electa es magni, maximum *Amoris* opus.

LXXXV.

Virgo antea immaculata, en paris Deum.

ÆTernùm connexa mihi, secumque videntur,
Non sine iustitiæ fœdere iuncta sacro;
Quòd quæcunq; Deum pariat, sine labe sit: & quæ
Sit sine labe, Dei Virgo sit illa, Parens.
Poscit vtrumq; Deus, Mater quoq; poscit vtrumq;
Magna Dei, simul hæc poscit & omne decus.

Legibus æternis, hoc in Te iunxit vtrumquè,
Ex Te qui Deus est Virgine, factus homo.
Per quem cum fueris *Virgo prius Immaculata*;
En quàm iure *Deum*, Tu sine labe *Paris*.

LXXXVI.

En vacas, multâ pomi, Regina Diua Mater.

MVlcta reos sequitur, quæ crimina vindicat vltrix,
Castigatquè operis noxia facta mali.
Intulit hanc, vetiti mortalibus vltio pomi,
Factaquè letalis, mors quoquè mulcta mali.
Nullus in humanis, hâc mulctæ lege vacauit:
Nullus vt à primâ labe, maloquè vacat.
Hæc tamen vna, Tuum virgo non tangit honorē,
Peccati mulctæ, nec sinit esse ream.
Nam *Regina* poli cum Tu sis, *Diuaque* Mater;
En Pomi Multâ vindice, sola *vacas*.

LXXXVII.

Eua regina, summo amanti, pura dilecta.

EVa maritali cum sceptro, fascibus orbem
Coniunctis rexit, summaquè iura dedit.
Pura prius, dilecta Deo, dignissima sceptris:
Digna coronati verticis imperio.
Mox inuisa Deo, peccati sordida labe,
Mancipium sceleris; seruaquè facta sui.
Regia cum sceptris fastigia, nomen, & omne
Imperij posuit iusquè, decusquè sui.
Dignior his sceptris, hoc nomine, iure, thronoquè
Eua parabatur, sed paritura Deum.

Pura

Pura Dei Mater, *Summo Dilectaque Amanti*;
Tu *Regina* orbis, Tu magis *Eua* Parens.

LXXXVIII.

O Iesu! en digna Mater, pura, immaculata.

ORbis vt vna salus, & tota redemptio Iesus;
Virgineo partu, natus in orbe Deus;
Iesus vera salus, puri dilectio cordis,
Victima pro maculis immaculata Patri.
Orbis in orbe, sacram peperit quæ Virgo salutẽ,
Vt fieret, decuit sic quoquè, labe carens.
Nil Iesu maius nato, nil dignius isto;
Matre decet Iesu, dignius esse nihil.
Ast quæ digna Deo sit, *Dignaqne Mater Iesu:*
Pura, sit & præ alijs *Immaculata* decet.

LXXXIX.

O magna immaculata, Tu parens veri Dei.

MAxima Te laudum circũstant, vndiq; Virgo
Argumenta, Tuus quæ Tibi firmat honos.
Vndiquè magna venis, seu Te natura beatam,
Seu fortuna velit, seu fauor ipse Dei.
Maiestas animi, stirps Regia, forma decusquè,
Orbis ad imperium ius, thronus, omnis honor,
Electos inter princeps electio, rerum
Prima creatarum gratia, primus amor;
Vndiquè Te magnam faciunt; sed maximus ille,
Omnibus ex titulis, & Tibi summus honor:
Tu quòd *Sola Dei* veri, sisque vnica in orbe,
O verè *Magna*, ó *Immaculata Parens*!

XC.

Adam & Euam, in maculâ purè ignorasti.

STirpe malâ peccantis Adæ, si nascimur omnes;
Omnes heu primis nascimur in maculis!
Principium vitæ, nobis est spiritus idem,
Qui causam morti, principiumquè dedit.
Viuimus, & morimur, maiorum dispare causâ,
Naturæ vita est debita, morsquè malis.
Non ignoramus maculam, qui nascimur Euâ;
Quosquè ligat, primi culpa parentis Adæ.
Sola Deo nasci visa est sine labe Parentum,
Quæ nata est virgo, nescia sola mali.
In maculâ Tu prorsus *Adam*, Tu prorsus & *Euam*,
Purè Ignorâsti; nata sed absq; notâ.

XCI.

I alma, intacta, Eua virgo, semper munda.

INnocuos ortus habuit, mortalibus Eua
Quæ primos ortus, lumina prima dedit.
Munda animo primũ, casto quoq; corpore munda,
Intacta intacto, iuncta Marita viro.
Virgo quidem, sed munda breui, sed lapsa deinceps,
In maculam, noxæ conscia tota cadit.
Nec semper, nec munda diu fuit Eua: cadenti
Heû prior exitij, quæ fuit ansa viro.
O ergò Tu causa boni, Tu causa salutis,
Constans in meritis, *Eua* secunda veni.
I felix ô *Alma* Parens, *Intactaque Virgo*
Semper, & æternùm *Munda*, placensq; Deo.

XCII.

XCII.

I ergò pura, I sanè munda, & immaculata.

CAra Patris soboles, splendor, sapiẽtia, Verbũ,
Vna salus hominum, Iesus & vnus amor.
Cælitùs in terras venturus, ab axe supremo,
Expectata diu gaudia, sera facit.
Defecêre animi, millenaq; tædia, longis
Excruciant spebus, pectora fida Deo.
Nec tamen in terras, stillant cælestia iustum;
Roridus in tostam, nec pluit imber humum.
Fors sacer in terris locus, hospite Numine dignus,
Munditîes animæ digna Deoq; deest?
I Ergo Pura I sanè Munda, Immaculata:
Vellus ad hoc sacrum, Tu Gedeonis eris.

XCIII.

Euge mali nescia, pura, munda, mira totà.

SOla cani, scribiq; volunt miracula de Te,
O operum specimen prodigiale Dei!
Sufficis ô virgo, totus stupor Orbis, vt in Te
Hæreat, in laudes totus, eatq; Tuas.
Nempè hominum, concepta modo, concepta sed absq;
Labe hominum, stupor est lucis Origo Tuæ.
Ex votis, Tu prima hominum solennibus, vni
Casta Deo, virgo mox quoq; fœta Deo.
Filia, Sponsa, Parens, Ancilla, Puerpera, Virgo,
Vna simul, totus num capit ista stupor?
Euge igitur quàm *pura*, *mali* quàm *nescia*, *munda*,
O quàm dotibus es, *totaque Mira* Tuis.

XCIV.

Age Patrona mundi, iurè immaculata es.

SI cadat, & ruptâ mundus compage dehiſcat,
Cardinibusq; ruat, machina lapſa ſuis;
In præceps rerum labentibus vndiq; fatis,
Armat dum ſuperas, vltio iuſta manus.
Iam deſperatis inter mala publica rebus,
In Te ſpes contra ſpem, pia virgo manet.
Vltima cælorum licet indignatio, contra
Inſtet, ab aſpectu proijciatq; ſuo.
Abſorptus propè iam, per Te ſeruabitur orbis,
Noſtra in Te Virgo ſpes, Tibi ſummus honos.
Vt mundum ſerues, *Age mundi* ſumma *Patrona*,
Iurè es mundanis, *Immaculata* malis.

XCV.

En tu immaculata es, nam Virgo Deipara.

AMplius, & maius, quid de Te proferat Orbis,
Neſcio; cuncta licet dicere ſumma velit.
Virginis & Matris, quàm cùm celſiſsima profert,
Adſcribitq; Tibi nomina, Virgo Parens.
Inde perennis adeſt Tibi gratia, fonſq; bonorum
Omnis, ab hoc fluxit fonte, fluitq; Tibi.
Virgo Dei Mater, Titulus Tibi ſummus, & vnus:
Qui ſeriem titulis, omnibus ipſe dedit.
Vtq; ex parte Dei, res hæc immenſa videtur:
Sic immenſa propè eſt gratia, lauſq; Tua.
En Tu quàm *Virgo*, præ cunctis *Immaculata Es*!
Nam ſine labe, *Dei* debuit eſſe *Parens*

XCVI.

XCVI.

Eua secunda, pura Mater Agni immolati.

IN vitium labi facilis, sed surgere lapsa,
Heu quàm non facilem repperit Eua modum?
Nulla Deo posthæc placabilis hostia: nullum
Par culpæ pretium, certaq; nulla salus.
Impuris si quam tulerant altaria dextris,
Peccatum redolens victima, nulla placet.
Tam labi facilè est, sed tam grauè surgere lapsis:
Cælitùs accedat, nî manus ipsa Dei.
Æternùm prior Eua, malis hæsisset Auitis;
Tu nisi placâsses *Eua Secunda* Deum,
Pura Deo, sacri *Mater* quia crederis *Agni*,
Visceribus placuit, victima nata tuis.

XCVII.

Virgo à maculâ Adæ patenter immunis.

VEra patent facilè, erumpuntq; simillima luci;
Si pupilla oculi pura sit, atq; capax.
Conceptus sine labe Tui, verissima lux est,
Quæ sine peccato, lucis in Auge fuit.
Inde patet, clarisq; micat splendoribus Orbi;
Ampliùs inque suâ nube, latere nequit.
Vixq; oculos, lucemq; animi censetur habere;
Qui necdum veri, lumina tanta videt.
Lux oculis optata meis, tam dulcè nitescat:
O vtinam tenebras discutiatq; meas!
V macula quàm Tu procul es, sacra *Virgo patenter*
Immunis, mera lux, nescia mortis *Adæ*.

XCVIII.

Te puram sine maculâ genitam adoraui.

SVccumbant linguæ, Citharæ, calamiq;, libriq;:
Laudibus & meritis, maxima virgo Tuis.
Ingenijs acies, vis mentibus, aurea desint
Flumina Rhetoribus, vatibus omne melos.
Cor supereſt quod amet, quod Te veneretur, & omni
Ingenio, quod Te deficiente, colat.
Cor quoq; deficiens vitales deferat actus:
Dum tamen extremo, palpitet vsq; gradu.
Pro linguâ, plectro, citharis, calamisque, librisq;,
Vltima spirantis vox ea cordis erit.
Puram Te genitam Macula sine, qui Tibi cultus
Seruit, adoraui semper, & vsque colo.

XCIX.

O vera immaculata Dei Gnatum pariens.

IMmaculata Tuæ quod sit conceptio vitæ,
Res hæc digna Deo, Matreq; digna Dei.
Nil melius de Te, nil verius, omnis in orbe
Sentiat, & toto mens pia corde probet:
Quàm quòd vera Parens, electaq;, & vnica cùm sis
Virgo simul Mater, fœta pudica simul;
Corporis, atq; animæ, minimâ sine labe decere,
Immortale decus, Te super omne decus.
Virgo *Dei Gnatum Pariens*, sis ergo necesse est
O vera! ô Genitrix *Immaculata* Dei!

C.

Mater, Virgo pia iam vale, sanctè munda.

Hoc

HOc tibi perpetui ſacrum vectigal honoris,
Dum minimus reddo, Virgo, Poeta tuus.
Aduoluor pedibuſq; Tuis, plangoq; dolenter,
Heu virgo maculas immaculata meas
Deprecor, & veniam ſupplex; polluta quod eheu,
Auſa ſit in laudes ſurgere Muſa Tuas:
Quodq; niuem ſine labe Tuam tetigiſſe pudendis
Non timuit manibus, fætida, ſpurca, putris.
Ergo verecundis digitum iam pono labellis,
Ore ſilens, nunquam deſino corde loqui.
O Mater ſalue puriſsima, *mundaque Sanctè*;
Inque Deo æternùm, *iam pia Virgo, Vale.*

In Laudem
Eximii Viri
IOANNIS BAPTISTÆ AGNENSIS,
Anagrammatum,
De
Immaculata Conceptione
B. MARIÆ VIRGINIS,
Inuẽtoris, gratæ memoriæ Symbola.

I.

PRimæuam, qui non vidiſti, in Virgine labem;
Vidiſti toto clarius orbe nihil.

II.

QVi tot in Angelicis, myſteria condita verbis,
Abſq; miniſterio lucis, in orbe vides;

Intuitu solo mentis, sine lumine carnis,
Cùm tantùm valeas; non homo, spiritus es.

III.

LVcis opus summæ, sine lumine clarior orbi
Agnensis, plenâ luminis auge tulit;
Protulit arcani, dum tot miracula sensus:
Centenis repetens, mystica verba modis.
Scilicet adiectis operi, lux maior in vmbris:
Pulchrior inq; suâ, sol quoque nube latet.

IV.

INgenij pupilla Tui, quàm cernat acutùm,
Visque animi quàm sit, lyncea tota Tui;
Arcani Diuina probant ænigmata sensûs,
Totq; sub Angelico, Symbola mentis, Aue.
Viderat hoc oculus mentis; quod nullus in orbe
Corporis,& mentis viderat ante nitor.
Dixero Te, Vir Clare, proin sine luce videntem;
Quin potius totum, dixero Te esse oculum.

V.


EXterior, dum fortè Tibi, caligat ocellus;
Interior pleno luminis orbe, nitet:
Clausa foris mundo, sunt lumina corporis; intus
Tota sed in facie cordis, aperta Deo.
Ad secreta vocat, dum Te sua; claudere iussit,
Ostia corporei luminis, ipse Deus.
Hîc tecum lux illa loqui, sine teste, sonoque
Hîc voluit summæ, condere *lucis* opus.
Sic benè conclusi, sub velo luminis, intus
Sanctorum licuit, sancta videre Tibi.

VI.

TE ſequimur, mentiſq; Tuæ venerabile lumen,
Qua præit, inſolitos figimus ecce gradus.
Vis animi Te ſola regit, lucemq; miniſtrat;
Communis Tecum vis ea, luxq; mihi.
Intus habes, ſplendore nouo quod fulgurat Orbi;
Intus ego lucem ſpecto, ſequorq; Tuam.
Virgo Tibi lux eſt, maculæ ſed neſcia Virgo;
Hæc quoq; lux oculis, immaculata meis.
Hanc ſequor Agnenſis Tecum; ſed diſpare paſſu;
Agnus Tu magnæ Virginis, Hædus ego.

VII.

NOn poteras meliore loco, cauſâq; videre:
In cauſâ quàm cùm Virginis, iſta vides.
Angelus in verbis myſteria condidit orbi:
In verbis iterum, Tu noua verba ſapis.
Ordine mutato rerum, miracula promis,
Ipſe ſuaſq; ſtupet, tam nouus ordo vices;
Omnia perluſtras, ſed in omnibus vnica virgo,
Conceptus Tibi fert, immaculata ſuos;
Vocibus in paucis cui fers oracula Centum,
Omnia de niueo Virginis orta ſinu:
Quæ cum luce animi, primus tam cernis acutè;
Centoculus, magnæ Virginis, Argus eris.



IMMA-

IMMACVLATVM VIRGINIS DEIPARÆ LILIETVM,

HONORI

Immaculatæ eius Conceptionis,

Centum Quinquaginta Quinq; Anagrammatis,

A CLARISSIMO VIRO,

IOANNE BAPTISTA AGNENSI,

ex his Salutationis Angelicæ verbis,

Aue Maria, Gratiâ Plena, Dominus tecum,

Nouo, post multa alia, deuotissimi cultus opere,

Solâ vi mentis, ob defectum visûs,

ELABORATVM;

ET

AD HONOREM,

Eiusdem Sanctissimæ Virginis,

absque Macula Originali Conceptæ,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopolien:
in Alma Vniuersitate Crac: Phil: Doct: Collega Minore, Ordin: Poëseos Professore,

ab annis 25. Visu orbato,

totidem Epigrammatis, in quinque Areolas,

DISPOSITVM;

QVOD

Illustrissimo, Celsissimo, ac Reuerendissimo

PRINCIPI,

D. ANDREÆ

DE OLSZOWA

OLSZOWSKI,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,
Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoquè
PRINCIPI,
ad Solennẽ Metropolitanæ Sedis ingressũ,
inter festiuas Orbis Poloni acclamationes,
auspicatissimi ominis, & honorificentissimi applausûs ergo,

IDEM

Officiosissimo cultu,
Dicat, dedicat, consecratque.

Anno à Partu Virginis Immaculatè Conceptæ,
M. DC. LXXV.

Illu-

Illustrißime, Celsißime, ac Reuerendißime

PRINCEPS.

EMinens istud, & solo Regum fastigio minus, honoris Tui, dum ingrederis Augustal; sacræ Tibi occurrunt, liliorum sine macula niues. Illibatum hoc decus, virgines gratulantium animos, & pura illa, quibus amaris, viscera pandit: sincero Vtique votorum pro Te conceptu, qui lilia peperit. Nec verò hæc, mortale aliquid sapiunt; quæ sola vis mentis, partu immortali enixa est; digna Te Principe, qui totus mens, & orbis Poloni intelligentia, mentium nonnisi propagine gaudes. [1]Metire exinde humana gaudia, quàm nihil, vt se Tibi euiscerent, possint; si intelligentiæ pro Te laborant, vt lætos ex honore tuo plausus, nouo linguarum genere loquantur. Nec enim hæc lilia sunt, sed Angelicæ linguæ; quarum Tu idioma nosti, quod innocentiâ totius vitæ loquebaris. Hæc est illa, auspicatissimi ingressus Tui felicitas, quod Te os Angelicum salutet: quod Aue illud, verbi æterni prænuntium, non in verbis, sed in lilijs ad Te descendat: ceu salutationem suam, ipsa Dei Mater,

tecum

tecum communicet: vt Sacrorum in Polonia PRINCEPS, diuinos pro Ecclesia partus, ab hoc afflatu concipias. Habes hîc certè, myriadem votorum, quam meruisti: in sesqui Hecatomben liliorum collectam, Deo pro Te innocentem victimam; ex qua intelligas, non aliter nos pro Te, sinceriùs litare posse; quàm si virgineum hoc ebur, quòd cælo placuit, origini suæ sine macula reddamus; fateamurque hâc niue, quæ Primatiale fastigium tuum circumfudit, quàm illibatis ad illud vestigijs processeris. Non quæsita hæc, vt se Tibi sternerent, sed nata ex Te Lilia sunt; cùm iam olim, tota vita tua, in Lilium abierit; eo præsertim tempore; quo nihil ab inquinamentis securum, nihil illime, per vliginosa simulationum, & animorum palustria decurrit: quo germina hæc, vernacula olim candori Polono, nunc inquilina fecimus; proiecimusque inter vulgares, & plebeias dotes; ceu tædio virtutis, malique gustu, inimicum prauis artibus, Sincerum omne euiluerit. Purum illud, & innocens animi secretum, in ænigma transijt; pari Carmentâ, & Phœbade nullâ; cùm animus sub sigillo fidei, pacem simulans; Iani foribus, ad æmulos conflictus, effusi-

belli, ne orbi imponeret, ex fide publica eliminares, probaresque in extremis Lapponum, quàm acer ibas contra eos; qui ancipiti mente, fideque lubricâ, domi hostilia nocentiùs agunt. Præliminaris ille conflictus, primum hostile vulnus, cor Tibi Patriæ aperuit; admissione tam altâ; vt nemo palpitanti in summo discrimine vicinior, ad Syncopen eius, lethalesque defectus, altiùs ingemuerit, steteritque constantiùs. Illô Tuo Augusto animo, & eloquio; quorum vtroque cordatus, & viua Maiestatis Oracula spirans, Principem animasti, & Patriam: iuistique ad Cæsarum Comitia Legatus, Suadâ, & magnitudine animi verè augustâ, animorum Princeps, & Dictator. A sole illo peregrino, candoris Tui lilium, non infectum; eximiâ fide, & prudentiâ, eorum etiam artes confudit; apud quos contra Polonum cum Austria fœdus, armaque socialia, spinæ ex lilijs factæ. Augustissimus ille, qui CÆSAREM LEOPOLDVM excepit, imperij apex, dignus Te Oratorum Principe, fastigium, ad quod iturus eras; auspicijs suis Imperialibus designauit; censuitque cum ijs, quibus Electorale ad coronas Augustas ius, fidam Patriæ, dignamque

manum

manum Tuam, quæ Reges coronaret. Niueam hanc, & illibatam, muneribus publicis cùm admoues; adusque sigillum Regni, dextera Principis, & Patriæ manus, ad sinistram non declinasti; eo tempore, cùm obliqua passim, & vario flexu, moribus patrijs difformia præualerent. Plerumque apud multos, animorum lilia, in simiam lilij, conuoluulum herbam, desinunt; quæ vt rudimentum naturæ, lilia facere condiscentis habetur; ita illi faciliùs se conuoluunt, quàm in calathos explicant; inter rudimenta, an tentamenta virtutis, nunquàm ad mentem exporrectam parati. aliorum animi, simplices quidem, & non fucati; semper tamen lãguido collo, vt de lilijs Plinius ait, & non sufficienti capitis oneri, facilè aut nutant, aut declinant. Excelsa mens Tua PRINCEPS, intaminata, & vbique explicata, ac ingens sibi ipsa theatrum, Pro-Cancellariatus Regni, nubilum illud Patriæ, sub inuolucro tempus; non mutato candore, non languido ad ingentia collo, non conuoluto in se, & ancipiti in publicum sensu, excepit, & sustinuit; sed pari sinceritate, & constantiâ, inter Maiestatis, & libertatis discrimina stetit. Animo Tuo nihil præ-

cellentiùs, & constantis propositi tenacius nihil; sinu ob id arcanis, & consilijs Regni tam securo; vt in eo coronæ Regum deponi, & augustum, & plenum fiduciæ haberent. Nouum id Polonis, sed vt ad sanguinis sui imperia, ritu veteri redirent, validum & efficax, Tibi PRINCEPS plurimùm debet; qui vt coronarum pondera noueras; ita de ijs candidè censuisti: dum Polonia verè centuriatis Comitijs, quod vno ore dixit, idiomate tuo locuta; orbem apud se Candidatum, negotijs omnibus absoluit; stupens ipsa suum, à quo tot seculis desueuerat, in electo Michaéle Principe, negotium. Ratum id, mansuremque vt fieret, prouidisti eâ sapientiâ; quâ præuidisti, recenti sceptrorum ex æqualitate exemplo, gaudia quidem repentina; sed quæ facilè subsiderent, & ad genium suum redirent. Bonum id, ipsâ desuetudine admirandum, mox inter popularia iturum. Indigenæ Principi, prona primùm omnia; breui occultos in scirpo nodos, infestos tandem palàm obices. Consultum per Te Maiestati Polonæ, factoque memorabili, quo Regum Natales domi inuenimus; & eos quidem, qui patritio, Sanguine, Orientis, Occidentisquè Cæsares ferrent

vt Im-

vt Imperatorum Neptis, Filia, Soror, dignos Augusta ELEONORA thalamos inueniret; Te apud Cæsarem Sponsore, & Oraculo, pro candida gente illibato; qui totum id felicitati Nostræ, thronoquè nuper fundato, ac bono eius stabili, prouido, sed innocenti consilio destinabas. Successêre deinceps ardua omnia, & cùm languere, etiam Principis amantes cæpissent, toto pondere suo, in Achilleum pectus Tuum delapsa; secus cedentibus gaudijs, quæ in summum eruperant; solo nisu, contra obluctantes, decumanosque fluctus relicto. Hæserunt tum maxima, quæ cohæsisse debuerant. infirmarique felicitas Nostra, ac decidua ferri visa est; vt Te Atlantem ostenderet. Adstitisti ei constans, & integer; consilijs fidus, verax, & liber; rebusque nutantibus, non supposuisse tantùm robora animi tui, Te oportuit; sed opposuisse quoquè secus interpretantibus; quos causa innocens, & intaminatum in ea propositum Tuum vicit. Inter ciuiles æstus, bellique fulmina simul, æquanimitas Tua incomparabilis, suffecit omnibus, nec à recto defecit. alto quidem gemitu, ob illum Patriæ turbinem; sed animo vbiquè incorrupto, excelso, viuacisque con-

silij

filij plenò: donec coàlita omnia, & in ſolidum re-ducta, robuſtis concordiæ viribus, etiam ad trium-phos ſuffeciſſent; quos Regalis ille Spiritus, terris excedens, & in ſinum tuum effuſus, ſoli Deo reli-querat; apud quem puriùs ijs, & ſecuriùs frueretur. Ita coronæ; & animæ Regum, in ſinu tuo depoſi-tæ, hoc egerunt; vt magno iterum Spiritu Patriam animares; & quam bis recepiſti, SERENISSI-MO IOANNI III. ſeruares, & imponeres co-ronam. Primatem ergo Te, primumquè Regni Principem, hoc innocenti paſſu, ad ſacra tantæ Cel-ſitudinis faſtigia progreſſum, ſecuta vbique cando-ris Tui lilia, etiam in ſummo aſſequuntur. Ingre-dere lilietum hoc, Magne Præſul, & PRINCEPS, & ad Virgines eius Areolas deſcende; vt ſacro hoc delicio, Mentem tuam, tot iam curis pro Eccleſia Dei, & Patria perfunctam, & Maioribus deſtinatam reficias; vbi recreaberis vel inde, dum cæcus cæcū ducit, & ambo in foueam non cadunt; niſi fortè in viſcerum Matris Miſericordiæ abyſſum. In hoc quoque lilieto, occurrit Tibi Vniuerſitatis eius nati-uus candor; cuius illibatum Senium, fidem in obſe-quio literato, & integritatem, vt candidè amas, ita

& pro-

& protegis; facturus id, in Tua Primatiali Sede, tantò ampliùs; quantò sublimiùs Tecum, Musarum celsitudo, & gloria assurrexit; quæ ex honoribus Tuis lætæ, ac felices, votorum pro Te, Manibus dant lilia plenis: vt Magnus in Ecclesia Dei Antistes, Senatûs Patriæ PRINCEPS, flos æui nostri, & gemma; postquàm in Principe nostro, Scutum Patriæ, palmas, & triumphos coronaueris; florida pacis lilia, diu videas, diu serues; metiarisque reliquã felicitatem Tuam, ex his auspicijs; in quibus non aliter sanctiùs, ad imponendam Augusto Capiti coronam, inaugurari poteras; quàm cùm Te lilijs ipsa suis, sine macula conceptis, Augustissima Poli, & Poloniæ Regina coronat.



Auguſtiſſimo
Totius SANCTISSIMÆ TRINITATIS,
MUNDISSIMOQUE SACRARIO,
Speculo ſine Macula Puriſſimo,
Liliorumq; Valli amœniſſimæ,
VIRGINI DEIPARÆ
MARIÆ,
Abſque Macula Originali
CONCEPTÆ,
Prouolutus ad Sacros Dominæ ſuæ Clementiſſimæ pedes, clientum minimus,
M. STANISLAVS IOSEPHVS BIEZANOWSKI, Leopol:

A Niuibus Sarmaticis, venit ad Te, tributarius in liliјs candor, ô candidum, vt cum Gertrude Tua loquar, fulgidæ, ſemperque tranquillæ Trinitatis lilium, Deipara Virgo! Vectigal iſtud Septemtrionale, Natiuas quidem niues ſuas, ex facili habet; ſed vt in lilijs Vernet, ægrè ab axe ſuo impetrat; qui pruinas ſuas libentiùs, quàm hortorum delicias fouet. Non ideo tamen, quicquid ad

Arctron

Arcton nostram situm, æternum gelu est. Terrarum hæc, non animorum plaga; quibus inclementia cœli nunquam obstitit; quominùs originis suæ memores, ex omni angulo, ad cœlestia prouolarent. Clementiùs quidem agi, cum ea terrarum Orbis parte, non diffiteor; quæ dilectum Tibi, Ioannem Baptistam Agnensem, in mysteriis Salutationis Angelicæ, absque oculorum vsu, oculatissimum dedit. Vernat ille, cum Italiæ suæ paradyso, felicemque terræ suæ genium, etiam in cœli negotijs sapit; adeòque Agnus ille, inter lilia Tua pascitur; vt haud facilè discernam, Agnusne, an Angelus sit? cui tantus, ex hoc Vno Archangeli Oraculo, conceptuum, an liliorum de Te prouentus est. Licebit tamen, clementiâ Tuâ fauẽte, etiam cum inclementi cœlo colluctantibus, erectas de Te, Partheniasque cogitationes sumere; quibus Agnensem Tuum sequamur, sed non quocunque ierit, assequamur. cui cùm ea felicitas contigerit; vt quicquid in obsequio Tuo calcasset, lilium fieret: id saltem Musis meis, sacra eius vestigia legentibus sufficit; vt quod ille Diuina mente concepit, in areolas disponant. Agimus id, rudibus hîc Numeris. quis enim puritatis Tuæ immensum, ad Numeros

 vnquàm

vnquàm reduxit? Nimirùm abyssus illibatæ Conceptionis Tuæ, vt in numereo sit, abyssum Diuinam inuocat. Hîc nonnisi arcanum istud, in numero, pondere, & mensura sua patet: hîc seculorum iste stupor, ænigma suum loquitur, & resoluit. Quodsi hortus Liliorum Conceptionis Tuæ, hortus verè conclusus est; quæ ista humanarum mentium audacia! Sacrum eius limen, non tangere tantùm, verùm secretioribus quoque illabi velle delicijs. id tamen, ô Mater puri candoris, ipsa omninò Voluisti; cùm Te absque macula originali conceptam, Orbis iam propè vniuersus, immenso suo gaudio profitetur. Non iam per cancellos tantùm prospicere, in lilietum Conceptionis Tuæ; sed introire quoque licet; adeo securo, firmoque gradu; vt cæcis etiam in eo deambulantibus, impingere non liceat; cùm Tu illis oculus in Via sis; quæ oculi Diuini pupilla esse meruisti. Introiui hûc ego, Agnensi Tuo Duce; sed eheu quàm difformibus vestigijs; quàm ad lilia Tua, præ impuritatis suæ conscientiâ trementibus! Dabis tamen Veniam, ô Veniæ Mater, & gratiæ! tantisper inter Areolas Tuas latitanti; donec indi-

gnatio-

gnationis Filij tui, æstus transeat ille; à cuius facie, si montes vt cera fluxerunt; quidni ego me, intra liliorum Tuorum Vallem, ô lilium conuallium! nempe intra viscera Misericordiæ Tuæ recipiam. Felix iste receptus, felices protectionis Tuæ latebræ; in quibus ad filiorum lucis hereditatem vixit, qui feliciter latuit. Hoc & mihi Votum; hic ad solium Tuum Reginale prouoluto, cordis gemitus perennis est; vt me, quanquàm ipse mihi peccati spina, ipse mihi mortis aculeus sim; à Vallato lilijs, clementiæ Tuæ sinu, non repellas ô Virgo! cùm sis lilium inter spinas.



DEI-

DEIPARÆ VIRGINI
MARIÆ,
SEMPER IMMCULATÆ,
Dominæ ſuæ Clementiſſimæ, infimus ſeruulus,
IOANNES BAPTISTA AGNENSIS.

QVod de Salome Virgine Regia, ſcribit Theophilus Marianus, inter artes Te colendi atque amandi; quòd nempè cùm cæca eſſet, feſtis tamen Tuis benè videbat; hoc mihi, cùm imitari nõn liceat: licet tamen, vel cæco calamo ire in laudes tuas, & chorum ducere, ambulantium in Tua obſequia literarum, per hæc Anagrammata Mariana, ex ore Angeli deprompta; & velut anatomica quadam partitione diſſecta; vt coaleſcant in opus teſſelatum. Zeuxis aureis literis intextum ſuum Nomen, in pallijs oſtendebat. Pallium Tuum ſol eſt, ô mulier amicta ſole: huic Tuo pallio, intexo ego aureum Tuum Nomen, dum illud è tenebris meis mitto in lucem, textili hoc Anagrammate contextum, à cæco illo Textore Tuo; qui lumē cordi ſuo expectans, pallio Tuo ſe tegit, ſub Tu-

um præsidium confugit, ne quis filius tenebrarum ponat *offendiculum coram cæco*; quod iam olim vetuit DEVS. Cæcus & claudus, non intrabant in templum, vt Veteri in Sacris prouerbio dicebatur. Tu quæ templum es, & ara, & tabernaculum Dei, eris oculus cæco, & pes claudo; vt ad Te perueniat; apprehensâ manu cæci Tui, qui oculos suos in manu Tua deposuit, ne erret. Certè *Si maledictus, qui errare facit cæcum*; tu errare me non patieris, ô *Benedicta* inter mulieres. Putant nonnulli, oculos dum vident, radios emittere; at ego cùm radios, nō habeam, quos mittam, à Tuis radijs immortale lumē expecto, hisce Anagrammatibus, tanquam Nuntijs ad Te, quartâ veluti legatione destinatis. Stesichorū, ob scriptam Helenæ vituperationem cæcum, lumen recepisse post Helenæ laudes, cum palinodia cantatas, aiunt fabulæ. Ego verò has Tuas laudes, Angelo præcinente, ita cano; vt luculentum operæ omnis pretium, præmiumq; mihi futura sis Tu; cuius ductu, ad illud gloriæ lumen perueniam; in quo nullus est cæcus, quia omnes vident: omnes amant. Cuius luminis pignus vnicum à Te expecto; vt interea in hisce meis tenebris, Deum, ac Te Dei Mater, licet necdū videam, iam tamen, amē; vt olim & videā, & amē.

IMMA-



IMMCVLATI VIRGINIS DEIPARÆ LILIETI,

AREOLA I.

XXXI. ANAGRAMMATICIS Lilijs distincta.

Aduertat hîc prudens Lector, Vnamquamque Areolam, à IOANNE BAPTISTA AGNENSI, *ita esse dispositam; vt hæc Angelicæ Salutationis Verba;* Aue Maria, Gratia plenâ, Dominus Tecum: *primis Anagrammatum literis, Acrostichicè exprimat.*

ANGRAMMA I.

Adamo licet gnata, mirè pura næui sum.

DIuinam Matrem, voluit me gratia nasci
Stirpe pari, sed non conditione pari.
Mortales ortus, cælestis gratia vincens,
Impatiens *Næui,* me sine labe dedit.
Hinc *licet Adamo* veniam *prognata* Parente;
Mirê Pura tamen *Sum,* Maculâque carens.

II.

Vitalis vnio gemma amanda, certè pura.

Fons

FOns vitæ Deus eſt; ſed vitæ proxima fonti
Vnica, quæ vitam Virgo, Deumque parit:
Hæc vnita Deo, facta eſt terræque polique,
Vnio Vitalis, pax, & amica quies.
Certè pura fuit, potuit quæ ſola mereri;
Delicium vt fieret, *gemmaque amanda* Dei.

III.

Eua munda, amicta ſole, mater agni puri.

AGnis Eua data eſt communis Mater, & hædis
Electos pariter protulit, atque malos.
Iuſtitiæ quæ *Sole* micat, quæ fulget *amicta*,
Chriſti *Munda* Parens, *Eua* ſecunda fuit;
Hæc *Mater Puri*, facta eſt felicior *Agni*;
Debuit hæc Solem, lux genuiſſe Deum.

IV.

Magna cæli Diua ſum, intemerata, purâ.

STulta, Deas cælo dederat, ſapientia Mundi,
Credideratque homines fingere poſſe Deos.
Prô Stupor! an fas eſt temerare Palatia cæli!
Debentur cælis omnia labe procul.
Intemerata Deum genui, *ſum Pura* Virago,
Magna igitur *Cæli*, quàm benè *Diua* Vocor.

V.

Arca noua, at munda iui, repleta gemmis.

TRanſijt arca vetus, magni quæ fœderis olim
Teſtamenta tulit, pignora grata Deo.
Hebræi faciem populi, præceſſerat illa;
Ante Dei faciem, fœderis *Arca noua*

Tui ego; sed pretiosa Deo, sed *Munda*, nitensque,
Gemmis virtutum, quippe *repleta* fui.

VI.

Renuo pia maculas, vti Mater Dei magna.

SVmmus honor Matris, titulo sublimior omni,
Quo magnam fecit, maximus ipse Deus,
Vas mundum fieri voluit me; quippe decebat
Labe procul, summi Numinis esse thronum.
Hinc *Renuo maculas* omnes, *pia*, sacraque Virgo,
Magna Dei veluti Mater, & Orbis amor.

VII.

Iam clamitat mundus; en Eoa Regia, pura.

SOlis vt exortus, toti dum fulgurat orbi,
Omnia lætitiæ pectora, plausus habet;
Publica sic facies, ad magnæ virginis ortum
Tota ruit, cordis gaudia mille ciens.
Exoritur Virgo, *mundus iam clamitat* omnis,
En Eoa Dei, *Regia pura*, venit.

VIII.

Adinuenta semper immaculata Virago.

PEctoris innocui, multis concessa facultas;
Primæuæ culpæ non sine labe tamen.
Vita Deo placuit, sed non conceptio; per quam
Ante suos ortus, displicuêre Deo.
Vnica *semper Adinuenta Immaculata Virago*;
Displicuit nunquam, semper amica Deo.

IX.

Gemma realis, Vita pura, ac munda niteo.

Viuere

VIuere posse Deō, vita est æterna, salusque;
Illi sed castâ, Viuere mente decet:
Vita mihi quàm *Pura* fuit, quā *Munda*, necesse est
Cor vitale Meum iudicet, ipse Deus.
Corde super tanto *niteo*, cælisque corusco;
Nempe monile Dei, *Gemma realis ego*.

X.

Regia supera niteo, munda, immaculata.

MAiestatis opus, cælis excelsius ipsis,
Me voluit fieri, gratia summa Dei.
Hîc augusta Deo sedes, hîc splendor, & omnis
Gloria, Materno Viscere clausa meo.
Regia sic *niteo supera*, *Immaculataque*, totam
Munditiem cæli, Vincere *Munda* queo.

XI.

Animata purè, ardeo ignita summâ luce.

NOn omnes animas animauit, purior ignis;
Impuræ labi, qui sociatus erat.
Ast meus innocuo flammescit spiritus igne;
Conceptuque fui, *Purè animata* meo.
Fax *Ignita* velut cælestibus *ardeo* flammis,
Summa Luce Deus nascitur, ignis, amor.

XII.

Tota niuea, clara, pura sum in gemma Dei.

QVæ mea lux animæ, quā labis nescia, quæris?
Quære locum, quo me dextera summa locat.
Tota ego sum niuei candoris, nix mera tota,
Pura animi donis, totaque *Clara* meis.

Inuenies talem; ſed vbi? rem pando, locumque;
In Gemma Voluit, me Deus eſſe ſua.

XIII.

Integra, & munda à macula, Ieſum pario.

ILlibata meæ, quòd ſit conceptio vitæ;
Conceſſumque mihi, quod ſpeciale decus.
Integritate Meâ, quòd non ſit purior vlla;
A Macula quòd ſim *munda*, placenſque Deo;
Mille ſuper cauſas, pro cunctis; *Integra Ieſum*
Quod Mater *pario*, ſufficit vna mihi.

XIV.

Agno Ieſu dicam; en mater tua pura mali.

TAnta mihi niueæ conceſſa eſt gratia mentis,
Tam ſine peccati labe, decora mico;
Vt quoties Matri, ſolitâ pietate licebit,
Nato cum Ieſu, dulcia Verba loqui;
Agno ſic *Ieſu*, mirâ dulcedine *Dicam*;
O Ieſu! *Mater* quàm *tua Pura mali*.

XV.

Pura Mater amati, age Deum in cunis alo.

PLaſma creatoris, qui me plaſmauerat, ipſum
Viſceribus capio, caſta puella meis.
Ille mihi vitam, vitæque alimenta parauit;
Ille mihi cunas, faſciolaſque dedit;
Aſt ego, *Pura* Dei, ſum quando *Mater amati*;
Ecce *Deum in cunis*, vbere lactis *alo*.

XVI.

Luceo animata, pura; ſum Mater agni Dei.

Fons

FOns lucis, princeps astrorum, fulgèt in orbe,
Aurea lux mundi, non animata tamen.
Lux animata ego sum, radijs latèque corusco;
Et viuo, & radijs *Luceo*, tota meis;
Viua habeo lucis Spiracula; *Pura* proinde
Agni sum Mater, sic *Animata Dei.*

XVII.

En Mater, & Virgo immunis à culpa Adæ.

OMnis in hoc titulo, latet excellentia laudum,
Virginis æternæ, clauditur omnis honos.
Si magni plausus, si dixero plenus amoris,
En Mater, quâ nil gratius ante Deum.
Mater, *at* & *Virgo*, partu inuiolata pudico,
A culpa immunis, puraque labis *Adæ.*

XVIII.

Niteo summa Diua, integra, ac almè pura.

HVc oculos mortale genus, date lumina cũcti;
Pulchrius ex omni sidere, sidus adest.
Almè Pura orior Virgo, terrasque subintro;
Virginitas mea, lux *integra*, casta micat.
Astra proinde mihi cedant fulgentia, quando
Summa poli *Niteo Diua*, Parensque Dei.

XIX.

Acre Malum Adam euasi, pura non tetigi.

COmmunis mihi vita data est, quã viuimus omnes;
Communi vitio, non tamen illa scatet.
Quod patet in vitam miseris mortalibus vnum,
Hoc mihi labe procul, gratia fecit iter.

Acre parentis *Adam* non noui, *Pura* virago,
Euasi victrix, *non tetigique Malum.*

XX.

Dei amatum mirè pura genui, Sancta alo.

SAnctus amor, Diuinus amor, purissimus ignis,
Illibata Sacri, viscera cordis amat.
Hunc ego Virgineis, excepi casta medullis;
Facta sed ad tantum concipiebar opus.
Mirè pura; *Dei genui* sic Numen *amatum*,
Quod genitum foueo, *Sanctaque* Mater *alo*.

XXI.

Originariæ maculæ munda sum, patet.

ARcanum celare suum, res mystica sueuit;
Tempus habet, quo se proferat illa tamen.
Expectata diu, veniunt gratissima; qualis
Conceptus fuerat, mystica causa mei.
A macula primæ, quod *munda sum originis*, æuo
Nunc iam felici, res pia tota *patet.*

XXII.

Macula Adam, en purè ignota Matri Iesu.

DEstinat immensi Sapientia Numinis vnam,
Quam fieri dignam, Matris honore velit.
Matris, quæ genitura Deum poscebat, vt ortu
Purior ante omnes, totaque munda foret.
En Matri Iesu, *Macula* est *Ignota*, nec illam
Purè cognouit, quàm malè cæpit *Adam.*

XXIII.

Iusta Dei Mater, pura omnigenâ maculâ.

Iusti-

IVstitiæ decus, heu primi amisêre parentes!
Ostendit labes, dedecus ipsa suum.
Peccati vulnus patuit, dolor omnia serus
Nudauit. nudis solus adestque pudor.
Iusta Dei Mater, decus hoc restaurat in Orbe;
Omnigenâ Maculâ, nam quia *Munda* caret.

XXIV.

Nescit, o Adam, Regina pura, auitam luem.

ORbis ad imperium veniunt, fascesq; Supremos,
Augustæ quibus est, stirpis auitus honos.
O Adam, Regina poli purissima Virgo;
Stemmata conceptûs, traxit auita tui;
Sed tamen illa *luem*, cum sanguine *nescit auitam*,
Dum conseruat eam gratia, *Pura* nitet.

XXV.

Vt Adami parens veni: ergo immaculata.

DVm peccat primus, dum noxia fercula gustat,
Cum toto cecidit sanguine, lapsus Adam;
Ne tamen æternùm, culpæ moriatur ab ictu;
Suscitet vt primum, nascitur alter Adam:
Huius ego *vt* dilecta *Parens*, post sæcula *veni*;
Ergo Verè ex hoc *Immaculata* fui.

XXVI.

Sum munita, Dei operâ, integra à macula.

MVnimenta mihi posuit firmissima, qui me
Elegit Matrem, constituitque Deus.
Huius ego vallata manu, circumdata muro,
A macula poteram, tuta fuisse Stygis.

Sic

Sic *operâ munitâ* Dei; ſic *Integra* ſemper;
Contra peccatum, turris ahena fui.

XXVII.

Tota mirè munda maculis, Verè pia Agna.

VIctima peccati cecidit puriſsimus Agnus,
Orbis qui maculas, integritate luit;
Mater eum decuit, quæ mirè caſta, pudica,
Vnicâ, quæ tanto germine digna fuit.
Scilicet à *maculis* quæ libera, *totaque munda*;
Hæc agni *Verè* Mater, & *Agna pia* eſt.

XXVIII.

En ſacra Diua, pura mali, vt gemma niteo.

OCcultare ſinu voluit Natura profundo
Gemmas, & quicquid carius Orbis habet.
Sed non occultat, quas fecit gratia gemmas;
Oſtenditque palàm, quàm ſine labe micent.
En ſacra Diua palàm, conſpectu lucis in ipſo,
Gemma velut niteo, ſum quia *Pura mali*.

XXIX.

Clarus Vnio, & Dei gemma animata pura.

AFflictis rebus ſuccurrere, quàm mihi dulce;
Quàmque ſalus hominum, ſit pretioſa mihi;
Diſcitur hinc; quod ſponte oculis incurro videnda,
Omnibus en Vultus, inſinuoque meos.
Vt magè conſpiciar cunctis *Animata*, nitenſque,
Vnio Sum Clarus, *Gemmaque Pura Dei*.

XXX.

Vitis magna pura, iam alo nectare Deum.

Qui dul-

QVi dulcedo mera eſt, & fons dulcedinis ingẽs;
Qui mare nectaris eſt, ambroſiæque Deus:
Ille Meâ in terris, Voluit dulcedine paſci;
Et ſitijt nectar, quod dedit ipſe ſuum.
Magna igitur magni ſum Regis, *Puraque Vitis*;
Iamque Deum caſto, *nectare* Mater *alo*.

XXXI.

Me Agnam iura, puram io laudate Sancti.

O Quicunque meum zelas fidenter honorem!
Conceptûſque mei, gratia cara tibi!
Innocuam, mitem, primæuâ labe carentem,
Agnam Me iura, pectore, voce, ſtylo.
Io Sancti etiam, Veſtris *laudate* triumphis
Me Puram; laus hæc grata, placenſque Deo.

Areola II.

ANAGRAMMA XXXII.

Agna Sion, Verè immaculata; Deum parit.

AGnum manſuetum, Sententia Numinis alti,
Aduerſus Stygij, deſtinat ora lupi.
Sed quæ tam felix, quæ tam ſelecta paratur,
Agni quæ Mater, pura ſit agna Dei?
Montibus in ſanctis, quæ ponitur, *Immaculata*
Vna Deum Pariet, ſcilicet *Agna Sion*.

XXXIII.

Vt arca Ieſu pia, malum Adami non geret.

RES pretiosa Salus hominum, res æmula cælo,
Vnica, quæ summum traxit ad ima Deum.
Virginis ista salus, veniet de Viscere casto.
Arca salutis erit, quæ geret arca Deum.
Si geret arca Deũ hæc; *vitium* peccantis *Adami*,
Vt Mater *Iesu*, *non geret Arca pia.*

XXXIV.

En Virgo data, apertè immunis à Macula.

QVid Phlegeton tumidæ subsultas fluctibus vndæ?
Plausus quid vanos, Styx, & Auerne cies?
Omnia peccati maculam, primosque reatus,
Contraxisse putans, inuide falleris heu!
En data Virgo, Deique Parens *immunis Apertè*
À Macula; quid agis? viscera rumpe tua.

XXXV.

Munda Mater, pariat sine iugo maculæ.

IMpia Styx rumpatur adhuc, & viscera mandat;
Primum quod toto, fecit in Orbe iugum.
Conceptu sine labe suo, partuque stupendo,
Excutiet Virgo; sic ait ore Deus;
Vna mihi natum pariet, sed *Munda* Virago,
Sit *Mater*, *maculæ* sed tamen absque *Iugo.*

XXXVI.

Agna mera, ritè munda, aluo Iesum capit.

QVis caput immensũ? quis circumscribit, & ambit?
Fine quod æternum, principioque caret.
Quis metam posuit, mensuram fecit abysso?
Munda Parens *ritè* hoc efficit, *Agna mera*;

Hæc

Hæc *Iesum* niueâ Mater dum continet *Aluo*;
Orbis quod totus non capit, *Agna capit.*

XXXVII.

Rosa niuea, immaculata, anguem perdit.

INnocuum florem, Stygius corruperat anguis,
Iustitiæ primum, dum Vitiauit opus:
Virginei tamen est, illibatique decoris,
Anguem qui *Perdit*, flos sine labe datus.
Immaculata Rosa est, *Niuea* est; quid frendis Auerne?
Vita, salusque alijs hæc rosa, spina tibi.

XXXVIII.

Io respuit maculam, vna Agna Dei Mater.

SÆua triumphales cecinit victoria plausus,
Dum cecidit Stygio vulnere cæsus Adam.
Sed cesset furiale melos, cessate triumphi;
Vna Dei Mater, grande triumphat opus.
Respuit en *maculam* primæuam mitis, & *vna*
Agna, Stygis victrix; *Io* triumphe canit.

XXXIX.

Amanda Virgo, & in se purè immaculata.

DElicium, quod fecit amor Diuinus, vt omni
Sit procul à macula, sit sine labe, decet,
Delicijs maior, *Virgo* fuit omnibus vna;
Purus ab æterno, quam sibi fecit amor.
Purè grata proin, niuei candoris & *in se*
Immaculata fuit, Semper *Amanda* Deo.

XL.

Gemma rutila, Rosa pia, ac munda veniet.

DIuitijs cæli si quid desiderat orbis;
Hortorum si quid, delicijsque cupit:
Omne decus magna *veniet* cum Virgine; nempe
Gemma Dei *rutila est*, & *Rosa munda, pia*;
Hæc Rosa gemmarũ, pulcherrima gẽma rosarũ;
Gaza Dei Virgo est, hortus & illa Dei.

XLI.

Regalis anima pura ouat, emicet munda.

VVlgares animæ, culpam traxêre parentis;
Communi quoniam succubuêre malo.
Ast opus Augustum, selectæ portio vitæ
Emicet, vt cælo vindice *Pura*, decet.
Virgo Parens, *Anima* est *Regalis*, opusque stupẽdũ
Amacula procul est, *mundaque* Mater *ouat*.

XLII.

Aurea integritas, munda macula pomi.

EXitium tulit omne, mali vis noxia pomi,
Quod culpæ, & mortis, dira Venena tulit.
Aurea mala putans, gustauit ferrea, primus
Lethales escas, qui violauit Adam;
Sed *macula Pomi*, Diuinæ *Munda* Parentis,
Virginis *integritas Aurea* sola fuit.

XLIII.

Tegit immensum in aula pura, adeò cara.

VIctus amore Deus, terras descendit in imas
Nube sub exigua, lux animata latens.
Maiestatis ei, sed quæ soliumque, thronusque,
In terris facta est, hospitis aula Dei;

Cara

Cara adeò Virgo, *Pura* candoris *in aula,*
Immensum, solâ Virginitate *tegit.*

XLIV.

Iam candor Agni, eam vestit puram, à lue.

DIgna Deo Mater, quā regia, quàm sit amictu
Candida, nosse cupis, totaque pulchra suo?
Illa suo necdum terris inclaruit ortu;
Iam Puram, ac omni criminis absque *lue*,
Agni candor eam vestit, quid pulchriùs illa!
Regia sufficit hæc Vestis, ad omne decus.

XLV.

Amata, pura virgo, en Adami luem nescit.

QVæritur augustis pulcherrima Sponsa Monarchis;
Sit pulchrum, quod ament Regia corda decet.
Sponsa Deo quidni pulcherrima, filia, Mater,
Quæritur? ad cordis deliciumque Venit?
Virgo Pura, luem patris, quæ *nescit Adami*;
Hæc est Sponsa Dei, totaque *Amata* Deo.

XLVI.

Pura eat, incolumis nauiget mare Adam.

CRiminis immensum pelagus, submerserat orbem,
Impurisque homines contumulauit aquis.
Omnia Pontus habet peccati; fluctibus omnes
Mortiferis pereunt; publica nulla salus.
Sola sed *incolumis*, Vastum *Mare nauiget Adam*,
Puraque sola Dei, per mare Mater *eat.*

XLVII.

Lucem aperuit amata Sion, Regia munda.

QVæ cælos clausit, lucem quoq; clausit amicā
Culpa, tenebrarum filia, noctis opus.
Sæcula labuntur, lumen qui dulce salutis
Recludat, nemo est; nox premit alta diem.
Regia Munda Dei, *Lucem* reserauit in orbe;
Lucis *Amata Sion*, filia nempe fuit.

XLVIII.

Emicat Virgo munda, alma vitæ parens.

VIta animæ perijt, Veræ cum gratia vitæ
Occidit heu! lapsu criminis icta graui.
Spes ablata Deo viuendi; viuitur eheu
Peccato, passim mors animasque rapit.
Emicat alma Parens vitæ, mortalia plaudant,
En vitam genuit, *munda* Virago Deum.

XLIX.

Non admisit, maculam Eua regia, & pura.

PVra Dei manibus, maculam prior Eua creata
Nescijt, Authori donec amica stetit.
Impuro gustu vetiti mox conscia pomi,
Admisit maculam, facta inimica Deo.
Sed *Non admisit maculam*, quæ *Regia*, *Pura*
Eua est; illa hominis mater, at ista Dei.

L.

Apis vna Mater, aculeum ignoret Adami.

DVlcia persuasit serpens, sed aculeus inter
Dulcia peccati mella, fauosque fuit,
Hæc apis ex Erebo, nectar dum stillat amicum,
Spicula mortiferi figit, acuta mali.

Vna

Vna Apis è cælis, *ignoret aculeum Adami*,
Sit *Mater*, morsûs nescia, dulcis apis.

LI.

Diua repulit à se anguem, iram, ac notam.

DÆmonis alloquium, non euitasse dolosum,
Anguem peccati, non repulisse fuit.
Admissus facilè est, sed postquã tristè momordit;
Hinc nota peccati venit, & ira Dei.
Anguem Diua Parens *Repulit* feliciter *à se*;
Iram sic repulit, criminis atque *Notam*.

LII.

Opera Iesu integra, munda, immaculata.

NOn opus humanũ, mortalis non ego dextræ
Inter mortales, obuia cura fui.
Me labor æternus, Diuinos fecit ad vsus;
Vt fierem magni, maxima cura Dei.
Quid dubitas? *Operâ Iesu* sum condita; nonne
Integra munda, Parens *Immaculata* fui?

LIII.

Malum ac næuum ignoret, ista Deipara.

SI mihi complacuit, casta de Virgine nasci;
Selecta ex multis, quæ mea Mater erit;
Sum bonitas immensa Deus, quæ Viscera Matris
Elegi, procul hinc næuus, & omne malum.
Ista mea est *Diuina parens*; *ignoret* vt omnem
Illa decet *næuum*, nesciat omne *malum*.

LIV.

Innotescit alma gemma, vera Diua, pura.

Illi-

ILlibata ſuô conceptu, naſcitur orbi,
Primæuæ labis neſcia, digna Deo.
Pura Dei Mater, cælorum *veraque Diua*:
Tum demùm, æterni quod ſtatuêre dies,
Innoteſcit opus Diuinum; quando tot inter
Gemmas, *alma* Dei *gemma* Maria micat.

LV.

Neſciat, ignoret Eua pura, malum Adami.

CIrcumuenta malis vt corruit artibus Eua,
Extunc pura hominum, deſijt eſſe parens.
Indoluit miſeræ ſorti, bonitatis abyſſus;
Eua, ait, vt veniat *pura* ſecunda Volo.
Neſciat illa *malum*, culpamque *Ignoret Adami*;
Exitij illa parens, iſta ſalutis erit.

LVI.

Virgo amanda, eia penitus arcet malum.

O Amor! ô quantum, quæ diligis, vndiq; curas!
Delicijs vt ſint, pectora digna tuis.
Sic tibi dilectam, cæleſtibus vndique Matrem
Vallaſti excubijs, maximus ipſe Vigil.
Exclamare licet; *Virgo* quæ naſcitur, *Eia*:
Omne *malum penitus*, *arcet amanda* Deo.

LVII.

Seponatur ritè à macula, gemma Diuina.

NOn intret commune malum, quod ſerpit in omnes
Quæ me caſta Parens, eſt paritura Deum.
Ille vterus, qui me portabit, Numine plenus
Gemmeus vt totus, ſit ſine labe volo.

Hæc

Hæc *ritè à macula* volo *Seponatur* vt omni;
Mater *Diuina* est, quæ mea, gemma mihi.

LVIII.

Turpem odit maculam agna Seria, niuea.

POrtentum deforme, tetrum, fœdissima toto
Orbe lues, horror, spurcitiesque mera,
Styx mera, mors, sentina mali, furialis abyssus
Peccatum est, quo nil turpiùs ante Deum.
Hanc *maculam Turpem niuea*,& purissima Virgo,
Seria plenè *odit* Mater, & *agna* Dei.

LIX.

En Dei rosa, pura mali, anguem mactauit.

MAiestas æterna Deus, post crimen Adami,
Humanum iustè, cùm maledixit opus;
Iussit, vt in spinas hominum labor iret acutas;
Has inter spinas, nascitur vna tamen,
En rosa pulchra *Dei*; Stygium quæ flore pudoris
Anguem mactauit; cur? quia *pura mali.*

LX.

Communi à lapsu Adam, Eua ritè integra.

PRæcipuè caris, est gratia carior; illa
Communis maculæ labe, notaque caret.
Non Vulgare decus sortita est *Eua* secunda,
Communi à lapsu, libera patris *Adam*,
Integra ritè fuit; sibi quam Supremus amandam
Præ cunctis, voluit seposuisse Deus.

LXI.

Vale Diua mirè magna, tota purè micans,

O Nóſtræ, Diuina Parens, ſpes vna ſalutis!
Orbis amor, lapſis gratia, vita bonis:
Purè tota micans, & *mirè magna*, potenſque
Ante Deum, ipſius filia, Sponſa, Parens.
Te ſine momentum nullum Volo, ſed tibi dulce
Semper aue vt dicam; Sic mea *Diua Vale.*

LXII.

Mater agna, ianua Dei, te puram colimus.

CLauſa diu, ſubtracta malis, iuſtèque negata
Gratia poſt lapſum, noluit eſſe patens.
Sed patuit tandem, magno poſt ſecula tractu:
Digna Deo poſtquàm, porta ſalutis adeſt.
Agni cæleſtis puriſsima *Mater*, & *Agna*,
Te puram colimus, *ianua* pura Dei.

Areola III.

ANAGRAMMA LXIII.

Aſpidem necauit vna Mater; alma Virgo.

AMbulat innocuis pedibus, ſuper aſpide iuſtus,
Monſtraque non læſus, calcibus ipſe premit.
Plùs habet *vna* Dei *Mater*, quæ ſola *necauit*
Aſpidem, & oppreſsit monſtra nefanda Stygis.
Inde triumphatâ Phlegetontis ab aſpide Victrix,
Alma triumphorum *Virgo* trophæa gerit.

LXIV.

Virgo mea pura nitet, ſine macula Adam.

Virgi-

VIrginitas multis concessa est, flosq; pudoris,
Multaque sunt castæ, corda pudicitiæ;
Non tamen absq; nota maculæ primique reatûs.
Vnica Virginitas, *Vnica Virgo* mea est.
Quæ *sine* peccati *macula*, *nitet* vndique *pura*
Virgo mea est, in eam nil tibi iuris *Adam*.

LXV.

Eua magna: Eua orta simpliciter munda.

ORtus Eua suos, habuit sine labe pudoris,
Plasmatoris opus nobile facta Dei.
Iustitiæ breuis hæc constantia; labitur eheu!
Mortalesque ortus, inficit Eua cadens.
Nascitur *Eua* Maria beatior, *Eua* secunda;
Simpliciter munda est, *ortaque magna* Deo.

LXVI.

Mansio Diuina ea claret, vt pura gemma.

SVmptibus immensis augusta palatia surgunt;
Aurum non alibi pulchrius omne nitet.
Marmor, ebur, gēmas hîc congere; mansioRegũ,
Omne decus, pretium poscit, & omne iubar.
Mansio Diuina est Virgo, ceu *gemma* proinde
Pura, serenato lumine *claret ea*.

LXVII.

Agna casta, renuet edulium amari pomi.

DAmnatas gustare dapes, & toxica pomi
Dira venenati; quid iuuat Eua parens?
Fercula sunt ex ore lupi, sed fercula mortis,
A dapibus procul his, quàm benè Virgo Parens.

Hæc *pomi renuet* prudenter *edulium amari.*
Immundum fugit hæc *Agnaque casta* lupum.
LXVIII.

Repleta vi amoris Vna, age, munda micat.

FOrtis amor, Diuinus amor, vis maxima rerũ,
Centimanus totus, totus & vnus Atlas;
Omnia perrumpit, regit omnia, ſuſtinet, ambit;
Intima ſcrutatur viſcera, corda tenet.
Vi tantâ, *Repleta* Sacri dum feruet *Amoris*,
Illibata Parens, *Vna age munda micat.*
LXIX.

Iam ea mira ouat, dum ſine culpa regnat.

NOn aliud regnum, quam quod virtute paratur
Certius; imperium qui ſibi regnat, habet.
Nil conſcire ſibi, res verè regia; culpam
Indolis auguſtæ mens, probitaſque fugit.
Regia dum Virgo, minima *regnat ſine culpa*,
Iuſtè *ea iam* regnat, *miraque* Mater *ouat.*
LXX.

Arcam agni manſueti, altè puram video.

O Felix oculus, meruit qui tanta videre,
Arcana jmmenſi prodigioſa Dei!
Illibata cui patuit conceptio magnæ
Virginis, & tantæ myſticus ordo rei;
Agni manſueti puram altè, qui *videt Arcam*;
Senſibus humanis, altiùs ille videt.
LXXI.

Gemuit Adam, ea non, pura maculæ riſit.

Pecca-

PEccatum gemitus sequitur: mens conscia recti,
Continua intrepidi, gaudia cordis habet.
Lapsus *Adam Gemuit*, lethali Vulnere tactus;
Indoluitque suis, hêu miser ipse malis!
Non gemuit Virgo, *maculæ* sed *Pura*, sereno
Ore, suis vitæ *risit* in auspicijs.

LXXII.

Rosam age Vidi, à macula perenni tutam.

PVrpurei cùm sit species gratissima floris;
Deciduum tamen est, quo rubet ipsa decus.
Vidi ego perpetuam, *maculâ tutámque perenni*,
Nunquam deciduâ Virginitate *Rosam*.
Hæc Rosa perpetuò Vernans, æternaque Virgo,
Sola perennantis, dona pudoris habet.

LXXIII.

Atram pomi luem nescit Agna, Vera Diua.

PRô dolor! in puncto peccati, labe perenni
Infectas animas, occidit atra lues;
Illa hominum cæleste genus consumpsit, in vno
Quem nimis effuso glutijt ore, cibo.
Atram Virgo *luem*, pomi quæ *nescit* amari;
Agna sit immunis, *Veraque Diua* decet.

LXXIV.

Tecta auro en Gemma Diuina, pura malis.

VT magis emineant gemmæ, spectantur in auro;
Conuenienѕque sibi, nobile tegmen habent.
Mutua sic iungunt nitidum consortia fulgur,
Accumulantque suum, sic pretiosa decus.

En Virgo pretiosa velut, *Diuinaque Gemma*,
Auro Tecta fuit, *pura* proinde *malis.*

LXXV.

Iam celsa Virgo mea niteat pura, munda.

ALtiùs haud rebus, fas conscendisse creatis;
Quàm quo Diuinæ Virginis iuit honos;
Celsior est cunctis, supereminet omnibus vna,
Quæ dum concipitur, sic ait ipse Deus;
Iam mea celsa mihi cæpit dum Viuere *Virgo*;
Munda mihi *niteat*, *puraque* tota, Volo.

LXXVI.

Agna Eoa paritura Deum, nescijt malum.

PHœbeus Virgo est radius, non tangitur vllis
Terrarum maculis, quas licet ipse ferit;
Purus in exortu, summo quoque Vertice purus,
Ipse notas monstrat, sed tamen absque nota.
Sol velut in terris, Virgo spectatur *Eoa.*
Hæc *paritura Deum*, *nescijt Agna malum.*

LXXVII.

Pernicies aut malum Adam, ignorat Eua.

DVm perijt, perijsse volens, secum quoq; traxit
Ad lapsum magni criminis, Eua Virum:
Pernicies exinde hominum successit, & omne
A malo vetito, creuit in orbe malum.
Perniciem, commune *malumque ignorat Adami*
Eua secunda, hominum gratia, vita, salus.

LXXVIII.

Luem duri pomi nescit, vera Agna amata.

Ad quam

AD quam durus homo, concessis nescius vti,
Allisit petram, quàm petra dura fuit!
Mortis erat scopulus, duri petra ferrea pomi;
Mortale hîc fractum, concidit omne genus.
Virgo *Luem Duri Nescit* mea, sic volo *Pomi*;
Tu *Vera* ex cunctis, *Agna* es, *Amata* mihi.

LXXIX.

Ea sit munda, ac pariat Virgo Emmanuel.

QVæ paritura Deum Veniet, stupor orbis, & ingens
Gloria terrarum, Virgo Parensque simul.
Tantæ Matris eam, quoniam dignabor honore;
Munda Ea tota Volo sit, maculâque carens.
Munda sit, *ac pariat* casti sine labe pudoris,
Emmanuel magnum, paruula *Virgo* Deum.

LXXX.

Nesciuit luem Adam, ergo animata pura.

O Quantùm nocuit, culpam traxisse parentis!
Iussaque mandantis non tenuisse Dei.
Ista lues, animas postquàm peruasit ad omnes;
Nulla fuit, primi *criminis* absque nota.
Sola *Luem Nesciuit Adam*, celsissima Virgo;
Ergo animata Deo, solaque *pura* fuit.

LXXXI.

Adami maculam periusta Eua non gerit.

IVsta Creatoris manibus surrexerat Eua,
Innocuum, niueùm plasma, Deoque Sacrum.
Mox tanto viduata bono, dum iusta, placensque
Esse Deo renuit, maluit esse nocens.
Eua iterum *periusta* proin surrexit, *Adami*
Non gerit hæc *maculam*, sed parit illa Deum.

LXXXII.

Diuâ en purè micat, aula gemmis ornata.

SIdereum qui fecit opus, tot lampadas orbi
Accendens, quibus hæc machina vaſta nitet;
Ornatam ſtellis, vt gemmis condidit aulam;
In qua regnaret, conditor ipſe Deus.
En purè quæ *Diua micat*, velut ignibus æther,
Ornata vt *gemmis aula*, domuſque Dei.

LXXXIII.

Omnis lingua eam puram à reatu edicat.

HVmanæ veneranda decet confeſsio linguæ,
Omne, quod alta Dei, dextera fecit opus;
Hîc tamen Angelicas etiam, menteſque beatas,
Conuerti in linguas, oraque mille decet.
Vt *lingua edicat* Sanctam, *puramque reatu*.
Omnis eam, genuit quæ ſine labe Deum.

LXXXIV.

Magna verè prodiuit, ſanè immaculata.

NAſcimur ante Deum minimi, quia naſcimur omnes
Qui non ceſſamus, criminis eſſe rei.
Nil magnum, maculâ quod non caret; vnica virtus
Ante Deum magnos, vitaque pura facit.
Ante Deum, *verè prodiuit magna* Virago;
Quæ *Sanè* ex cunctis *immaculata* fuit.

LXXXV.

Iam Virgo patet munda, ſine rea macula.

IAm niueæ mentes, dilectaque pectora Matri
Diuinæ, lætis cor recreatæ modis.

Orbis

Orbis in aſſenſus communes iuit, & omnis
Conceptus niueos Virginis, ora canit.
Ecce *reâ maculâ ſine*, nil rea, *mundaque Virgo*,
Cæli, terrarumque, & Stygis ore *Patet*.

LXXXVI.

Nudè eam cano, Regiam puritatis aulam.

CAndida ſi quando cecinit mihi carmina, nudus
Qui nil cum ficto pectore, candor habet.
Cādidior niuibus, iam nunc mea plectra gubernat,
Sincerus nudo carmine, totus olor.
Regia Virgo Parens, *puriſsima* numinis *aula*
Quòd ſit, ego *Nudè* dum *cano*, vera cano.

LXXXVII.

Vnica gemma palàm niuea, vt roſa ridet.

SQualloris fons eſt, ingenſq; occaſio luctûs,
Criminis admiſſi proh dolor! hora breuis.
Pauca voluptatis ſolatia, clade perenni,
Et lachrymis cōſtant, queîs madet omnis homo.
Vnica gemma palàm niuea eſt, quæ *ridet vt* vna
Lætitijs vernans, delicijſque *roſa*.

LXXXVIII.

Sion Arca Eua, nil impurum Adam tegat.

VIrginei Mater candoris, iuſtitiæque
Arca fuiſſe olim, debuit Eua prior;
Omnis eam decuit candor virtutis, & omnis
Gratia; ſed facta eſt criminis arca mali.
Arca Sion venit, primæ quæ nil habet *Eua*,
Vt *tegat impurum* te, noua Mater, *Adam*.

LXXXIX.

Terra pia, ac munda à malo, genuit Iesum.

TErrarum procul hinc, pretiosi cedite fructus,
Et quidquid magni germinis, orbis habet.
Fertilibus terris, toto quod nascitur orbe,
Ex terrena aliquid labe, notaque sapit.
Vnica quæ *Iesum genuit, pia Terra, maloque*
Munda, bonum potuit germen habere Deum.

XC.

Eoi Margarita, penitus munda macula.

FOns lucis, maculas Phœbus censetur habere,
In gemmis etiam, vis maculosa latet.
Sol velut exoriens, hominum est conceptio; lucē
Orditur; maculas mox quoque lucis habet.
Non habet has, *maculâ penitus* quæ *munda* Virago,
Eoi solis, *Margaris* vna fuit.

XCI.

Candorem vestijt Eua magna, pura mali.

INtegritas ô quanta fuit! quantumque pudoris
Illud erat pretium, Virgineumque decus!
Immensum traxisse Deum, quod ad infima terræ,
Et castis potuit claudere visceribus.
Pura mali Virgo potuit tantùm, *Euaque* magna;
Nix mera, *Candorem vestiit* illa Deum.

XCII.

Veni pura gemma, tota sine dira macula.

ARdebat diuinus amor, nec tædia mille,
Longiùs ad magnum, ferre valebat opus;
Ipse

Ipſe quod æterno decreuerat ordine rerum;
Vt fieret natus, Virginis ipſe Deus.
O mea, ſic clamabat amor, *maculâ ſine dirâ,*
Tota decora Parens, *gemmaque pura veni.*

XCIII.

Mira agna Dei, te altè puram inuocamus.

OMmne Dei quod ſurgit opus, mirabile ſurgit;
Cuncta creata ſtupet, non ſatis ipſe ſtupor.
Hæc tamen admiranda Dei, ſic vnica Virgo
Claudis; vt eſſe queas, maximus ipſa ſtupor.
Agna Dei mira es; ſtupor hîc ſilet omnis, & *altè*
Puram te ſupplex *inuocat*, atque colit.

Areola IV.

ANAGRAMMA XCIV.

Aurora, & luna magis munda emicet pia.

CYnthia Virgineis ſubdit ſua cornua plantis,
Fertque ſuum ſupplex, aurea Stella decus.
Omne iubar Vincit, genuit quæ lucis abyſſum;
Aſtra nihil, quod ei non famuletur, habent;
Conceptu *Pia* Virgo ſuo, vix emicat orbi;
Aurorâ, & Lunâ iam magè *munda micat.*

XCV.

Vnica roſa, & palma mirè munda Vigeat.

NAſcitur in ſpinis, ſed ſpinis neſcia pungi,
Hortorum princeps, deliciumque roſa.

Palma triumphatrix onerum, grauibusq; resistens,
Pondere dum premitur, fortiùs alta petit.
Mirè munda Parens, *Vigeat Rosa, Palmaque* vincat
Vnica, quæ sensit pondera nulla mali.

XCVI.

Ea est origine pura, munda immaculata.

DIuinam Matrem, si quæ sit origine quæris?
Iessiádum dicent, secula prisca tibi,
Regius est Sanguis; sed longè celsior illi,
Nobilitas animæ, principiumque fuit.
Est Ea Pura mali, cælestis *Origine* Virgo,
Immaculata Dei, totaque *munda* Parens.

XCVII.

Maculæ pura Diua, nite ornata gemmis.

NIl mihi cùm maculis, speciali munere Diuã,
Condidit ex altò me manus, ipsa Dèi.
Non humanus adest splendor mihi; cælitùs in me
Corporis, & mentis fulgurat omne decus.
Pura ego sum *maculæ, Gemmis Ornataque Diua*,
Sic *Niteo*, Matrem ceu decet esse Dei.

XCVIII.

Adeamus inuiolatam, ac purè integram.

QVos rea mens, labesq; premit primæua nocentes,
Talibus accessus, non patet ante Deum.
Pollutos animos nam culpa reuerberat ipsa;
Sola Dei potis est, Mater adire thronum;
Illa Deo cùm sit vicinior; *Inuiolatam*
Ac Purè Integram, nos *Adeamus*, opus.

XCIX.

XCIX.

Regia domus mica, inuenta pura, & alma.

NOn latet in tenebris, Regũ quod fulget in Ostro;
Ambit honoratum Regia tecta iubar.
Si Diuina Domus, si Regia Numinis alti.
Conciperis Virgo, te decus omne decet.
Alma Dei Mater cùm sis, *Inuentaque* Virgo,
Regia Pura, Domus Numinis ergo *mica.*

C.

In Matre, imò pura Diua, negate maculas.

VT Diuina Parens fierem, mirabile quantam
Ortûs munditiem, iusserat esse mei
Conditor ipse meus; quo disponente, puella
Ortu nascebar, tota decora meo:
Imò in Matre fui, iam candida, *Puraque Diua;*
O maculas igitur, cuncta *Negate* meas!

CI.

Agna Mater munda, tu aperis cæli viam.

IN cælum miseris vestigia nulla patebant,
Culpa sacrum postquàm, pessima clausit iter.
Hæsimus æternùm, nemo qui duceret hœdos
Innocuo cæli tramite, dignus erat.
Dux hœdis tandem, *Materque* pijssima, *munda*
Agna Venis, *Cæli* mox *Aperisque viam.*

CII.

Gaude Sion, en mira, pura, & immaculata.

AD lachrymas natis, nunquã sincera voluptas,
Quæ caruêre Deo, gaudia Vera dedit.

Anxia culpa gemit, cor lancinat, intima rodit;
Exhilarat verè mens bona, iuncta Deo.
En Gaude Sion, cúm nascitur *Immaculata*,
Mira Dei Mater, gaudia *Pura* dabit.

CIII.

Remota es à macula, tu pia mundi Regina.

AD fasces Orbis, Regali iure tenendos,
Cùm te seligeret gratia Summa Dei;
Noluit augustum maculis, Vitioque subesse
Maiestatis opus, deliciumque suæ.
A maculis igitur quoniam *Tu* Virgo *Remota* es,
Mundi Regina Es dulcis, amanda, *Pia.*

CIV.

Alma Virgo, & pia Mater, vnica munda es.

NIl mundum sub sole datur, natiua quod orbis
Culpa notat, primi-criminis orta malo.
Infecti noxâ gemimus, semperque recurrit
Ex animæ maculis, primus in orbe dolor.
Vnica tu *munda Es* Verbi *Pia Mater, & Alma*
Virgo; nihil mundum par tibi, mundus habet.

CV.

Tu pura Agna, imò Dei Mater sine macula.

OMnia sunt Diuina tibi præconia Virgo,
Omnes quæ titulos, vincis, & vna capis:
Tu cœli, terræque decus, tu maxima rerum
Portio, flos vernans, *Agnaque Pura Dei.*
Imò primæuâ *maculâ Sine, Pura*, stupenda,
Quòd summùm est, summi *Mater* es vna *Dei.*

CVI.

CVI.

In omni parte, vera immaculata gaudes.

COrporis illibatus honos, comiteſque pudoris:
Sunt multis caſtæ, ſunt ſine labe niues.
Pars animæ; primo tamen eſt obnoxia næuo;
Gaudia nec veri, Vera decoris habet.
Vera tibi Virgo, ſunt *Omni* gaudia *Parte*;
Vera Dei cùm ſis, *Immaculata* Parens.

CVII.

Agna munda nite, euge amoris palatium.

MAgnificum quod ſurgit opus, vereq́; ſtupendũ,
In quo Diuinus, tam benè ſudat amor.
Hoc illud ſacri cæleſte *Palatium Amoris*,
In quo delicias, condidit ipſe ſuas.
Euge Deo Sacrata Domus, tu Regia cæli,
Innocuis radijs, *Agnaque munda Nite.*

CVIII.

Punctum Adami, almè euita, Roſa Regina.

MOrs fuit in pũcto, *Punctum* quod ſuſtulit omne;
In quo cardo rei, viſque ſalutis erat.
Accidit hoc puncto, caſus fatalis *Adami*;
Quod tamen *Euita*, tu mea vita velim.
Virgo Parens *Almè*, cùm ſis ex omnibus vna;
Tu *Regina* poli, tu *Roſa* caſta Dei.

CIX.

Lactea, pura, eia mundo vitam germines.

PRima venenati dum ſuximus vbera lactis,
Suximus heu longi, dura alimenta mali!

Hinc

Hinc vetiti prognata cibi, mortalibus ægris
Noxia peccati portio, mortis opus.
Germina ſed vitæ, tu *Lactea*, *Pura* dediſti;
Virgineum *Vitam*, lac aluiſſe decet.

CX.

Eluces munda, io puri agni Mater amata.

QVæ lucem genitura Deum, nitidiſsima terris
Virgo parabaris, filia lucis eras.
Illa tuæ primos animæ circumdedit ignes.
Conceptuſque tui, dum ſacer ortus adeſt,
Eluces Io, cæleſti *munda* decore,
Agni tu *Puri*, *Mater Amata* Dei.

CXI.

Niuea tutò clares, pura mamma agni Dei.

OMnia qui paſcit, lactat, nutritque, fouetque,
Vnus cunctorum paſtor, & altor amor.
Lactari Diuinus amor, paſcique tenello
Vbere, Virgo Parens poſcit, amatque tuo.
Hinc *Tutò Clares Niuea*, hinc ex vbere caſto
Dulcis es, ô *Agni Puraque mamma Dei.*

CXII.

Agna ito munda maculâ, per merita Ieſu.

VT parias agnum, tollit qui crimina mundi,
Virgo, ſis caſti pectoris *Agna*, decet.
Ille cruore ſuo, maculas vt deleat orbis,
Ibit, & æternum continuabit opus.
A macula tu *munda* etiam, dum naſceris, *Ito*;
Ieſu Per merita es, libera facta Parens.

CXIII.

CXIII.

Diuina gemma ter pura, seiuncta à malo.

DIuinæ Triados pretiosum Virgo Monile,
Purior ex gemmis omnibus, vna fuit.
Hanc sibi delegit, rerum ter Maximus Author,
Vt fieret gazæ, maxima gemma suæ.
A maculæ *Seiuncta Malo, Diuinaque Gemma,*
Ter Magni Mater, *Ter* quoque *Pura* Dei.

CXIV.

O Agna Verè Munda, ac mitis, & pura mali.

INnocuo Iesu nihil est mansuetiùs agno;
Qui dum mactatur, victima pura silet.
Omnia supportat, miti subit omnia corde;
Fonsque boni, reus en sustinet esse mali.
Sic ô *Agna* Parens agni, *Verè* quoque *munda,*
Pura mali, ac mitis, tu sine labe nites.

CXV.

Munda Polis mica, tu verè amata Regina.

DIlectæ Matri, tribuit cùm Numen amicum,
Regalis fasces, summaque iura throni.
Hoc, ait, imperiũ, quod nunc capis, inclyta Mater,
Munditíes animæ, postulat ipsa tuæ.
Tu Regina, mihi tu verè Mater *Amata,*
Munda solo regnes, *munda Polisque mica.*

CXVI.

I, ô casta, templum ignarum ruinæ Adæ.

TEmplum Diuinum, quod dextera Summa creauit,
Est anima, in terris nobile plasma Dei.

Peccato concussa, sed hæc mox corruit ædes,
Sacra Deo postquàm, noluit esse domus.
Purum labis *Adæ Templum*, *Ignarumque ruinæ*,
Iô Casta Dei, tu nisi sola Parens.

CXVII.

Nemo eia purus te arguat mali, ac damni.

DAmna, quibus vetiti lugubria fercula pomi,
Afflixere mali seminis omne genus.
Nescia tu culpæ reparasti Virgo, malisque
Omnibus, es partu facta medela tuo:
Nemo Te Purus, damni te nemo, *malique*
Arguat; *Eia* malis omnibus vna cares.

CXVIII.

Virgo, & Parens Adam, immaculata Veni.

QVi primus, virtute Dei formatus in Orbe,
Res hominum cæpit, Matre carebat Adam.
Hunc vt salutaret, cælo descendit ab alto,
Qui nouus in terris, Patre carebat Adam.
Hic nouus est cælestis *Adam*, quē gignere mundo
Virgo, Deique *Parens*, *Immaculata veni*.

CXIX.

Sacro munita igne, pura metu mali Adæ.

INcombusta fui, quamuis me flamma nefasti
Criminis Vrgeret, mille daretque faces;
Vrerer vt totis, conflagraremque medullis;
Nulla tamen nocuit, fax Violenta mihi.
Igne Sacro quia Virgo fui *munita, malique*
Pura metu, procul hinc noxius ignis *Adæ*.

CXX.

Tu Sana, tu pura cæli, meridiana gemma.

SOl mediâ cæli quando ſpectatur in auge,
Collecti pleno luminis ore nitet.
Claruit hoc ſplendore, tuæ conceptio vitæ;
Cuius momentum, lucis in auge fuit.
Tu ſplendor cæli, *mediæ Tu gemma Diei*;
Tu Sana es, primi *Puraque* virgo mali.

CXXI.

Eua priùs immaculata, dein Mater Agno.

AGnus, vt humanæ decreuerat ordo ſalutis,
Dum naſci mundo, Virgine Matre cupit;
Illibata priùs ſibi viſcera deſtinat, & cor
Virginis, vt fiat manſio digna Deo.
Immaculata priùs fieri ſic debuit *Eua*,
Agno digna olim, *Mater* vt illa foret.

CXXII.

Cautè animata à Deo, nil impurum geras.

O Quàm cuſtodita Deo! quàm mille fuiſti
Excubijs Virgo ſepta, latenſque Stygem.
Cùm velut vna Dei fueras pupilla, Sacrique
Delicium cordis, quod temerare nefas.
Impurum Nil ergo *Geras*, quæ neſcia labis,
A ſummo fueras, *Cautè Animata Deo.*

CXXIII.

Vna pergis immaculata, ô vna Dei Mater.

VErgimus ad ſenium mundi, labentibus annis;
Secula tot poſtquàm, conditus orbis habet;

Dilectæ cùm iam tot millibus vndique lectis
Præcesſsêre animæ, pectora grata Deo.
Immaculata Deo *pergis* tamen *Vna* placere,
O Mater, cunctis carior *Vna Dei*.

CXXIV.

Mei puri agni, ô Mater casta, munda Vale.

INnocuus qui me ſuſceptâ morte redemit,
Ille Deus meus eſt, agnus & ille meus.
Victima qui factus, ſed victima pura ſaluris,
Purus hic, impuras quæſijt agnus oues.
Ergo *mei Puri*, quæ *Mater* diceris *Agni*,
Tu quoque *Casta* Parens, agnaque *munda Vale*.

Areola V.

ANAGRAMMA CXXV.

Aperi mea lumina, Virgo casta, & munda.

EXpecto, ſuſpiro gemens, cælumque fatigo;
Vt veniant oculis, lumina clara meis.
Te ſine nil poſſum; concluſis ænea portis,
Aſtra negant viſus, ſoluere clauſtra mei.
Ieſu *Casta* Parens, *Aperi mea Lumina* tandem,
Munda pupillam, *munda Virago* meam.

CXXVI.

Vige ornata palmis, emica munda reatu.

VNa triumphales poſcit Victoria palmas;
Eliſit culpæ, quæ caput atque Stygis.
Hæc monumenta tui, poſuit victura trophæi;
Victrici ſpolium, cedit vtrinque tibi. Tu *Pal-*

Tu *Palmis Ornata Vige*, tu *munda Reatu*
Emica, & æternùm Virgo celeusma cane.

CXXVII.

Euge ô Sancta Mater, i pura, i munda mali.

VIcisti Diuina Parens, quod vincere nemo,
Humanæ potuit conditionis opus.
Vicisti maculam, tantæ quam gratia Matris
Non patitur; thronus es, pura DomusqueDei.
Euge ô Sancta Dei *Mater*, tu *Pura* per omne
I seclûm, i felix, *mundaque* tota *mali*.

CXXVIII.

Memento mei agna pura luti, Sacra Diua.

IMmundi vas vile luti, Vas mortis, & iræ,
Vas fragile, & præter crimina, grande nihil.
Cùm mera sim labes, ac indignatio cæli;
Ad te vox, & spes, vna relicta mihi.
Agna memento mei Virgo, *Sacra Diua*, malique
Pura Luti; supplex sum tibi vile lutum.

CXXIX.

Alacris gemma, i pure tota niuea, munda.

MIlle alias inter laudes, encomia mille,
Ex quibus immensa est gloria Virgo tibi;
Omni momento quod opem poscentibus adsis,
Hoc miseris summum est, pectus id omne colit.
Gemma Alacris salue, miseris succurrere nata,
I Purè Niuea es, *Totaque munda* Parens.

CXXX.

Rogata veni dilecta, anima summè pura.

POscebat mortale genus, poscebat Olympus,
Supplex poscebat limbus & ipse Patrum.
Vt Verbi Mater, spes vnica, porta salutis
Nascerer, vtque in me grande veniret opus.
En *Dilecta Anima* adsum, *Summè Puraque* Mater,
Ad tantas *Veni* Virgo *Rogata* preces.

CXXXI.

Intemerata paris, munda Virgo maculæ.

EXclusisse iugum nequiit, quod fecerat ipse,
Diuino factus munere liber Adam.
Ad mandata Dei durus, submisit Auerno
Cor tumidum, vanum; colla, manusq; dedit.
Munda Iugo maculæ, tu sola es libera plenè;
Intemerata Deum, Virgo proinde *Paris*.

CXXXII.

Agna Mater purè niuea, maculam odisti.

SOl tenebras, maculas nix, crimina virtus,
Impurum purus pellit, & odit amor.
Hoc tua lux animi, nix, virtus, purus amorque,
Agna Dei *Mater*, puraque Virgo facit.
Odisti maculam minimi tu criminis omnem;
Nam Purè Niuea es, libera, munda, sacra.

CXXXIII.

Geris Panem cor vitæ, vita munda, alma.

DEsijmus postquàm cælesti pane cibari,
Terrarum nobis, vt placuere dapes.
Cor vitæ in nobis defecit, & omnia languor
Noxius oppressit, morsque trophæa tulit.

Cor

Cor vitæ nobis tu Virgô nasceris ; *Alma*
Dum panem vitæ, *mundaque Vita Geris.*

CXXXIV.

Regia palma veni tu, & rosa munda mica.

ERipuit palmam miseris mortalibus omnem,
Vna manus, vetitos carpere nisa cibos.
Vnde hominem serpens vapidus tentauerat, inde
Palma parabatur, si benè parta foret.
Sed malè res cessit. Tu nostri causa triumphi
Regia Palma Veni. Tu Rosa munda mica.

CXXXV.

Amans electa amati pueri, Virgo munda.

INfantem fecisse Deum, cunisque tenellis
Immensum potuit claudere solus amor.
Transformare potest qui solus, & omnia miris,
Inter se rerum conciliare modis.
Fecit amor, quod *Amans Pueri* te dulcis *Amati*
Sis *Electa*, Dei *Virgoque Munda* Parens.

CXXXVI.

Tu pia, ac munda Regina, tu iam solare me.

OMnia sunt in te miseris solatia Virgo;
Viscera Maternæ, quæ pietatis habes ;
Tu Pia, tu mundi *Regina* es *munda* redempti ;
Est quæ soletur, Regia dextra tibi.
Tu Iam me Solare, graui sub nube gementem,
Solari visum, lux mea sola potes.

CXXXVII.

Ito pura gemma, clara nitens, adiuua me.

Nescis

NEscis Virgo moram, ſed amoris protinus alas
Induis; vt celeri ſis pia Mater ope;
Irrequieta tibi ſunt cordis viſcera; pennis
Ad pietatis opus, quin rapiare tuis.
Ito celer, *Clarèque Nitens*, *Me* luce carentem
Adiuua, & vnio ſis, *Puraque Gemma* mihi.

CXXXVIII.

Agni Dei tu Mater, alumna emicas ô pura.

ADmiranda tuum, quæ Virgo Mater alumnũ,
Debebas quondam, lacte aluiſſe Deum;
Ipſe priùs, culpâque tui, maculâque carentis
Conceptus, dederat pura alimenta tibi.
Agna Dei Tu Pura micas, ó candida *Mater*;
Nempe priùs fueras, dulcis *Alumna* Dei.

CXXXIX.

Palàm euadis integra, à communi reatu.

ORbis non dubitat, cælum lætatur, ab omni
Peccati Virgo, te procul eſſe nota.
Non poterat communis Adæ pertingere culpa,
Diuinæ Matris, quò penetrauit honos.
Integra ſic hominum *Communi*, & pura *Reatu*,
Euadiſque Palam libera, digna Deo.

CXL.

Luce ſummâ redimita, i agna pura notæ.

AVguſtas Orbis diademata ſumma coronant;
In quibus ex gemmis, lux aliena micat.
Fulgurat exteriùs gemmarum garndo; ſed intrà,
Communi ſquallent omnia, plena notâ.

Tu ſplen-

Tu splendore tuô; *Summâ Redimitaque Luce*,
/ Regina potens, *Agnaque Pura Nota.*

CXLI.

Esto munda, viua, ac integerrima palma.

COnflictu tentata graui, res concidit omnis
Humana, vt Stygiis cesserat illa dolis.
Non patere ô Virgo, captiuus vt orbis Auernō
Seruiat; vtque gemant, quæ ceciderê simul,
Integra, munda Parens, orbis tu *Viua* redempti
Palma triumphatrix *Esto*, Stygeinque doma.

CXLII.

Noli timere, amata pura, ac munda Viges.

SEruilis timor est, vbi non est integra cordis
Libertas; amor est vnicus absque metu.
Qui peccat seruit, pœnam formidat, & horret;
Securi sed amor gaudia cordis habet.
Mater *Amata* Dei, tu noli *Pura* timere;
Munda Viges, amor est Vita, Vigorque tuus.

CXLIII.

Amoris Dei templum, tu agna cara niuea.

ERexit visenda sui fastigia templi,
In te Diuinus, Virgo, Magister amor.
Hîc illi cor dulce tuum fuit ara, tuæque,
Hîc thymiama fuit, Virginitatis odor.
Agna Dei *Niuea* es, *Tu Caraque* Mater; *Amoris*
Esse *Dei Templum*, tale decebat opus.

CXLIV.

Dei agnum lactas niuea, imò pura Mater.

INfans Diuinus, roſeis alimenta labellis,
Poſcit ab vberibus, Virgo Beata tuis;
Paruulus hic, modicaque latens ſub carne, cibari
Virgineo potuit nonniſi lacte Deus.
O Virgo *Niuea* ! imò candida, *Puraque Mater* !
Agnum tu *Lactas*, caſta puella *Dei*.

CXLV.

O agni Mater ſummè purà, ac nitida vale.

DVlcia verba tibi, nunquam dulciſsima Virgo
Ceſſabit, noſtri dicere cordis amor.
O Summè Pura ac Nitida, o lux aurea cæli !
O *Agni* puri *Mater*, amorque Dei !
Vt tecum viuam, tecum pia Virgo perennem;
O mea vitæ ſpes ! o mea vita *Vale*.

CXLVI.

Mulgis munda omni re creatâ, tu pia vale.

OMne decus mundi, quod mens ſuprema creatrix
Condidit, vna Dei, ſolaque Mater habes.
Quippe creatarum ſpecies pulcherrima rerum
Tota tuum format, ſed ſine labe decus.
Par tibi munditie, nihil eſt. ô ergo *Creatâ*
Purior *Omni Rè*, *munda magiſque Vale*.

CXLVII.

Ingens væ Adami amarum, it procul à te.

PEſtiferum noxæ Virus, dum prodijt Orco;
Ingens væ ſecum traxit, & omne malum.
Flebile væ miſeris, & portio fellis amara,
Omnibus hæc, mortis triſtia pocla dedit.

Procul

It Procul hoc *à Te*, peccati *Ingens*, & *Amarum*
Vœ; quia dulce tibi, Virgo paratur Aue.

CXLVIII.

Non geres auitam maculam, vti Deipara.

HEredes culpæ, maculam debemus auitam
Principio noſtro, traximus vnde genus.
Infelix ſoboles, quod in hæc ſucceſsimus eheu!
In quibus eſt naſci lex; procul eſſe, nefas.
Tu nunquam culpæ, *Maculam* lethalis *Auitam*
Caſta *Geres Veluti*, magna *Deique Parens*.

CXLIX.

Velut munda Margarita, en emicas ô pia.

ROrida progenies cæli, naſcuntur in vndis
Concharum partus, gemmea grando maris.
Nil tamen Oceano debent; quia purus ab alto
Matutinus eas, ros ſine labe dedit.
En quoq; tu maculâ procul, es *Pia* Mater ab omni;
Munda Velutque poli, *Margaris* vna *micas*.

CL.

Superna Regina, imo tu Dea immaculata.

IMmenſum quiddã eſt, quod de te cogito, quando
Immenſi Matrem, cogito te eſſe Dei.
Excedis trabeas omnes, diademata, faſces;
Maieſtate tuâ, celſior vna Dei eſt.
Omnibus es maior, cæli *Regina Superna*;
Imò dixero plùs, *Immaculata Dea* es.

CLI.

Tu palma ignoraſti væ, crimenuè Adam.

OMnibus ingeniјs, quæ vis, quæ summa facultas
Dicendi de te est, si mea tota foret;
Angelicis etiam si fas mihi dicere linguis,
Primæuâ dicam te caruisse notâ:
Nempe *Ignorasti Va* flebile Virgo, *Palàmque*
Nil in te iuris, *Crimen* habebat *Adam.*

CLII.

Euge, pura à nota mali, ritè munda micas.

COrdis quot pulsus, viuæ spiracula Vocis,
Quotquot habent vitæ, dulcia signa meæ:
Os, animumque tibi Virgo, cùm dedico; de te
Lætitiјs toties, mille triumpho meis:
Euge sonet lætum; nam Virgo sola triumphans,
Pura malique Notâ, Ritèque munda micas.

CLIII.

Caput Auerni metis, Virgo almè amanda.

INfernale caput, tumidâ ceruice superbum,
Quod contra erexit, Styx inimica Deum;
In vitæ Capite, est admissi culpa reatus;
Quo sine nec tellus, nec polus ipse fuit.
Labe carens *Virgo, Caput* hoc furialis *Auerni*;
Almè cùm fueris semper *Amanda, Metis.*

CLIV.

Virgo pia, intacta, merè munda, Salua me.

FOrmidanda dies, quæ Iudicis ante tribunal
Me iusti statuet, cùm mea corda subit;
Concutit ossa tremor, totis mens conscia fibris
Præmoritur, gelido sanguine vita fugit.

O Inta-

O Intacta merè, Pia Virgo, Mundaque Mater,
Salua me! sine te, nam mihi nulla salus.

CLV.

Mater agni micas, i ô pura, munda Vale.

SAcra coronis adest, iam quæ te Virgo coronat,
Illibata metris, lilia claudo meis;
In quibus, vt Diuina tuæ Conceptio vitæ
Floreat æternùm, dum tuus opto cliens;
O *Agni*, quæ sola *Micas* castissima *Mater*!
I ô Pura Parens, *Mundaque* Virgo *Vale*.

ANAGRAMMA MIRABILE,

In honorem Beatissimæ Virginis

MARIÆ,

ex Antiphona Ecclesiæ

SALVE REGINA,

à quopiam compositum: & Olomucij A. D. 1653. 6. Idus Sept: editum; *quod hîc in gratiam deuotorum, erga SS. Dei Matrem, apponi placuit; sequiturque tale.*

MAGNÆ MATRI
MARIÆ,

Thesauro Trinitatis, a.
Altari animato, b.

Prodigio Cœleſti, c.
Fundatrici Eccleſiæ, d.
Reparatrici generis humani, e.
Epitomæ Excellentiarum Dei, g.
Paradiſo ſecundi Adami, & Officinæ vnionis magnæ duarum naturarum, f.
Virgini & Matri admirabili, Miraculo formoſo venuſtatis, & omnium virtutum;

IPSI SOLI,

ANAGRAMMA ISTVD,

DEDICATVM.

a *Origen:* b *Method:* c *Ignat:* d *Cyrill:* e *Fulgent:* f *S. Proclus,* g *Andr: Cret.*

PROGRAMMA.

Sodalis loquitur.

SAlue Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & Spes noſtra, Salue. Ad Te clamamus exules filij Euæ: Ad Te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Eia ergo Aduocata noſtra, illos Tuos miſericordes oculos ad nos conuerte; & IESVM benedictum fructum ventris Tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Anagramma perfectum, & Reſponſio B. V. M. carmine reddita, iiſdē omninò literis, nulla deſiderata, nulla ſuperante. ſunt namq;.

a æ b c d e f g h i l m n o p r ſ t u x y
24 2 2 14 11 36 3 4 2 25 16 15 13 21 4 17 27 20 24 2 1

Ad eun-

Ad eundem sodalem, Salue *recitantem, B. V. loquitur.*

ME saluere cupis? mi, sum tua Virgo, Sodalis
En tergo & lachrymas, vultu amplector amico;
Materno te claudo sinu; lac accipe nostrum,
Vbere destillo cælestes mellis honores:
Et vitæ arbor ero; si in me spes fixa reclinat.
Fide Deo, iuuat ingenuos, mea cura Sodales.
Dein vultu ostenso; mea maxima gloria Christus,
Te fessum, (ô iucunda dies) te in sidera ducet.

Comendatio istius Anagrammatis.

EN Anagramma Tibi, Verbi Augustissima Mater
Scripsimus, assumi nostra tabella rogat.
Assume; in tenui labor est, labor omnia vicit;
Omnia qui vincit, Te quoque vincat amor.

ANAGRAMMA SECVNDVM,

Ex Antiphona alia Ecclesiæ, videlicet Alma Redemptoris Mater, *compositum : & Anno Domini, 1649. Freburgi Heluetiorum, in Sacello Lauretano, inter votiuas tabellas appensum.*

P R O G R A M M A.

ALma Redemptoris Mater, quæ peruia cæli
Porta manens, & Stella maris, Succurre cadenti
Surge-

Surgere qui curat, populo. Tu quæ genuisti
Natura mirante; Tuum Sanctum Genitorem,
Virgo prius, ac posterius: Gabrielis ab ore
Sumens illud Aue, peccatorum miserere.

Literæ responsionis Anagrammaticæ, Programmati etiam ut superiori, absolutè respondent; sunt enim.

a	b	c	d	e	g	i	l	m	n	o	p	q	r	s	t	u
21	2	9	3	27	5	17	8	12	8	9	8	3	22	15	16	21

ANAGRAMMA.


NE metuas, quamuis cursu pernice procella,
Nutat, & irruit Spumosa nauis in vnda,
Teq;, tuamque ratem, placato sidere ducam:
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit:
Errorem pelagi retegam, miserebor egeni.
Euge meos portus intra; sum ripa Salutis.



E R R A T A,

quæ contra mentem Authoris irrepſerunt,
Lector beneuole ſic corrige.

IN prima præfatione ad B. M. V. interoges lege interrogés. In Ode Votiuâ ad B. V. Stroph: 3tia ℣. 4. attox lege atrox. Stroph: 26. Æthereris lege Æthereis. In Deliciarum Octiduanarum Epigram: 15. in Textu ſcripturæ lege: Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, &c. Epigram: 25. ℣. 7. Diunæ lege Diuinæ. Epigram: 30. ℣. 5. pretiosâ lege pretioſa ſine accentu. In Epigram: 7. mutatus num: 73. Epigram: 79. ℣. 3. mea: lege meo. Epigram: 90. fecetat lege fecerat. Epigram: 116. ℣. 6. Eelices, lege felices. Epigram: 117 ℣. 1. geruntu: lege geruntur. Epigram: 120. ℣. 4. labotauit lege laborauit. Epigram: 12[illegible]. ℣. 1. Caſtu lege caſta. Epigram: 129. ℣. 7. vteto lege vtero. Epigram: 136. ℣. 5. candotis lege candoris. Epigram: 154. Textu ſcripturæ pro ℣. 7. lege 8uum. Epigram: 176. ℣. 1mo. Aarabes lege Arabes. In eodem Epigram: ℣. 8. fragas lege fragras. Epigram: 188. ℣. 1mo. tui. lege tu. Epigram: 236. ℣. 5. pater[illegible]um lege parentum. Epigram: 284. ℣. 2. metibns lege mentibus. Epigram. 294. ℣. 2o ottatur lege ornatur. Epigram: 308. ℣. 4. ſceptorum lege ſceptrorum. Epigram: 351. ℣. 4. mumera lege munera. Epigram: 375. ℣. 5. abyſus. lege abyſſus. In Octo Beatitudinibus SS Ioachim & Annæ, Epigram: 5. ℣. 1. animos lege animus. In Bellariis ſacris. Epigram. 8. ℣. 7. An ſatis, & pluſquam ſatis ; &c. lege An ſatis hoc? ſatis, & pluſquam ſatis &c. Epigram: II. ℣. .. In terram pronas animas, & cæleſtium inanes. lege In terram pronas animas, cæleſtium inanes. In Epigram: 15. palam, in rebus ſacris, ſacri Pòëtæ Proſperi, authoritate produximus: In Oraculo Parthenio. Epigram. 13 ℣. 1. innocuo lege innocuos. Epigram: 36. ℣. vltimo morſus lege morſu. Epigram: 75. ℣. vltimo mun d or. lege mundior. Epigram: 97. ℣. 11. V macula pro A macula. Ex Lilieti. Epigram: 29. ℣. 1: rebu: lege rebus. Epigram: 85. ℣. 2. recreatæ modis. lege recreates. Epigram: 118. ℣: 3. ſalutaret, lege ſaluaret. Epigram: 140. ℣. 3. garndo, lege grando. Epigram: 135. ℣. 5. te, lege tu.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023490

Bieżanowski Stanislaus Joseph

Doctore Philosophiae

Deliciae

Octiduanae

ex

Suauissimo amoris Diuini

Cantico Canticorum

Cracoviae Typis Universitatis

12°   1634 anno

151 k. n.

A - A3   Nn - Nn2

opr. półskórek

Biezanowski Stanislaus Joseph.

Doctore Philosophiae

Deliciae
Octiduanae
ex
Suavissimo amoris Divini
Cantico Canticorum

Cracoviae Typis Universtitatis
1634 anno

12°

151 k. n.

A - A3 Nn - Nn2

Opr. Złotnicek



DELICIÆ
OCTIDILANÆ
EX CATICO
CANTICORUM